II*
8

BIBL. NAZ.
VITT. EMANUELE III
XXVIII*
B
88
NAPOLI

Digitized by Google

A
VI
19
LVII
LV
XXVIII*
B
88

XVIII. M. 35
LVII LV
62 85
Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

XXII. B. 53

58
B
25

Digitized by Google

COMITIS

CAMILLI SILVESTRII

RHODIGINI

In Anaglyphum Græcum

INTERPRETATIO POSTHUMA;

Cui accedunt Diſſertationes duæ Epiſtolares,

ALTERA

JOANNIS MARIÆ LANCISII

Archiatri, atque ab Intimo Cubiculo

CLEMENTIS XI. P. M.

ALTERA

AB. BLASII CARYOPHILI

NEAPOLITANI

CURA

JOANNIS OLIVÆ RHODIGINI

Vulgatæ.

BIBLIOTECA NAZIONALE DI NAPOLI

ROMÆ, MDCCXX.

Typis Georgii Placho, prope S. Marcum.

SUPERIORUM FACULTATE.

Digitized by Google

CLEMENTI XI.

PONTIFICI MAXIMO

JOANNES OLIVA

RHODIGINUS

F.

QUI ex affe-ꝺta SANCTITATIS VESTRÆ ſuperioribus menſibus valetudine in anceps quaſi naufragii periculum

Digitized by Google

adducti fuimus, ſedatis nunc fluctibus, noſtriſque animis in poſterum ad bene ſperandum erectis, juvat omnes tamquam ab ingenti tempeſtatis formidine optato in portu conquieſcere, & quanta lætitia poſſumus, exultare. Dioſcuri itaque ſalutis, ac navigationis præſides a veteribus habiti, nobis in diuturnum tempus tranquillam Beatitudinis Vestræ incolumitatem quodammodo gratula-

tum

tum adveniunt, ut CLEMENTE XI. ad Clavum ſedente, Apoſtolica Navis quamlibet procellam feliciter evitare poſſit, atque omnes ſcopulos ſuperare. Certe, ſi quis earum rerum, quæ ab hominibus in terris aguntur, mortuis ſenſus ineſt, Camillum etiam Silveſtrium, ingens Rhodiginæ Urbis ornamentum, nuper SANCTITAS VESTRA cum ſoſpes ſit reſtituta, DEO OPTIMO MAXIMO gratias agen-

tem videre videor, eumque enixe precantem, ut quam diutiſſime Reipublicæ Catholicæ imperes. Nec plane dubito, quin ex illis, ut credere pium eſt, Beatorum Sedibus proſpiciat in Joſephum Mariam Feronium, cujus nunc juſſu AUGUSTO NOMINI TUO poſthumam ejus Diſſertationem ſubmiſſe devoveo. Quinimo auguror proſperitatis TUÆ cauſſa patriam meam omnes veri gaudii ſignificationes ma-

magna cum reverentia edituram, cum intellexerit, Civem quondam ſuum tanto Romæ in honore verſari, quantus auctorum noſtrorum nulli unquam contigit, nimirum quantum eſſe conſtat libris inſcriptum venerari Eum PONTIFICEM, quo nemo ab omnibus graviſſimis diſciplinis paratior, nemo æquior ſtudiorum omnium æſtimator a nobis hac ætate inveniatur. Neque hæc perinde di-

cuntur, ac ſi videamur de hac ſumma in judicando SANCTITATIS VESTRÆ perſpicacia ſoli ſentire. Illi enim eruditiſſimi Viri, quibus TE rerum late DOMINO Roma redundat, jampridem hæc ipſa declaraverunt, qui labores ſuos glorioſiſſimis his Auſpiciis honeſtando incomparabilis ſapientiæ, ſingularis benignitatis, atque admirabilis eloquentiæ TUÆ juſtam rationem habuerunt; meritoque BEATI-

TU-

Digitized by Google

TUDINEM VESTRAM ſunt admirati, in immortalem illam ſuccreviſſe gloriam, qua Gregorii Magni, Magni Leones floruerunt. Quo fit, ut, PONTIFEX MAXIME, non dedigneris amanter excipere, qui cujuſcumque literariæ induſtriæ ſpecimen TIBI præbent. TECUM enim hæc duo nata eſſe, atque indiſſolubili vinculo obſtricta adoleviſſe videntur, fervens ſcilicet in ſtudia, ſtudioſoſque voluntas, atque

illa

illa promovendi cogitatio: quas res ſi ſejungere velis, in aliam TE naturam convertere oporteat, & a CLEMENTE XI. CLEMENTEM X I. amovere. Quare facis ex INGENIO TUO BENEFICO, cum in Capitolium ſpoliis hoſtium ab Imperatoribus Triumphantibus poſt bella depoſitis antiquorum memoria celebratiſſimum, nunc mutata conſuetudine jubes liberales artes, pacis ornamenta, migrare: cum

Ty-

Typographias Vaticanas inſtauras: cum diu deſideratas Euſtachianas Tabulas, ſitu obſitam egregiam Mercati Metallothecam, ſacroſque in Ægypto Codices deliteſcentes magnis ſumptibus emittis in publicum: cum efficis, ut pervia, atque impervia terrarum loca luſtrentur, quo inde pretioſis advectis opibus florentiſſimum literarum in Italia Regnum validiore firmitate ſtatuatur. Hæc certe

te omnia, præterquam quod linguis, ac ſcriptis ubique celebrabuntur, cum eo reſpiciant, ut otium interdictum ſit ſegnibus, ac SACRUM IMPERIUM latiſſime proferatur, rem univerſam tum Chriſtianam, tum literariam æternis TIBI beneficiis obſtringes. Hinc porro crediderim, ut ex tot TUIS graviter, juſte, ſanċteque geſtis pręmium quoddam, vel in mortali hac vita conſequereris, factum eſſe una SANCTI-

TATIS VESTRÆ lætitiæ cauſſa, ut magnus Saxoniæ Princeps Romanam Religionem ſuſciperet, eandemque illic in libertatem aſſertum iri ſperaremus: atque Evangelium commeatu uberrimo inſtructum nuper in Sinenſes Oras inferres. Jure igitur omnia, quæ hactenus a DIVINA HAC VIRTUTE profecta ſunt, admiratione digniſſima prædicabuntur: atque inter alia INSIGNIS TUÆ BENIGNITATIS exempla,

ego

ego, Rhodiginique omnes hoc inſuper ſuſpiciemus, ſi in ea, quæ per Silveſtrium noſtrum ſunt tenuiter elucubrata, intueri benevole, PRINCEPS CLEMENTISSIME, non recuſaveris. In qua ſane fortuna magnifica, ut felicius conquieſcere liceat, dum provolutus in genua, Pedibus BEATITUDINIS VESTRÆ oſcula figo, ſupplex oro obteſtorque, ut mihi, ut piiſſimis Camilli Manibus, ut Rhodiginis uni-

univerſis bene ſanctéque preceris; cui quidem eximio honori grata temporum omnium recordatione conſulemus.

Romæ Cal. Januarii Anno MDCCXX.

Digitized by Google

L E C T O R I

JOANNES OLIVA.

CUm Patricius Rhodiginus Comes Carolus Silveſtrius Camilli filius me Romam veniſſe compertum haberet, atque apud Illuſtriſſimum, ac Reverendiſſimum Præſulem Joſephum Mariam Feronium ſuaviter habitare, miſſis ſæpe literis voluit eandem, erga tenuiſſimum ingenium meum voluntatem oſtendere, quam ſatis propenſam non uno argumento fuerat in Patria teſtatus. Itaque inter alia, quæ ad illum ſcribebam, hujus Præſulis magnitudinem animi, in gravioribus diſciplinis, amœnioribuſque Artibus percipiendis miram celeritatem, effuſumque erga literatos

Viros amorem juſtis laudibus cum extollerem, conſilium cepit, Diſſertationem hanc, paullo ante quam extingueretur, a Parente exaratam, huc illi dono mittendi. Exceptum fuit ab humaniſſimo Præſule libenter munus: omniaque ſumma aviditate perlecta; quippe quam de Auctoris doctrina opinionem antea mente prę. ceptam habebat, vel hoc in exiguo opere eam aperte comprobatam eſſe gauderet. Quare, ut in tempore ſtudet in omnem poſteritatem monumenta de ſe duratura relinquere, mihi pro incredibili benignitate ſignificavit, velle in ſe omnem impenſam recipere, ut hoc libro vulgato, tamquam anniverſario pietatis officio, Camilli Manibus in omnium principe Urbe parentaret. Ubi intellexi demandatum mihi, ut de re omni cognoſcerem, quo de Camillo, ac de Patria mea honorificentius mererer, ad Illuſtriſſimum, ac Reverendiſſimum Joannem Mariam Lanciſium Archiatrum, & ab Intimo Cu-

biculo Clementis xi. Pontificis Maximi negotium detuli, & cum Viro Clariſſimo Abb. Blaſio Caryophilo communicavi. Conveneram hunc præclariſſimum Præſulem difficili ſane tempore. Totus enim erat in occupationibus maximis, atque in elucubranda tantopere expectata illa de *Motu cordis* Diſſertatione; & defeſſus videbatur Pontificis recens curata valetudine, quam ſic proſpere tuetur, ut nemo unus Pontifex uno uſus Archiatro vixerit diutius, & rectius cum ſuo Medico conſenuerit. Atqui *Summus* hic *Princeps Archiatrorum* (quemadmodum ab inſigni Roſino Lentilio Conſiliario, & Archiatro Ducis Wirtembergici appellatur in Epiſtolis nondum vulgatis, quarum editionem paramus) cum meam quoque Domi ſuæ qualemcumque patienter ferat induſtriam, Silveſtriam exercitationem legendam a me poſtulavit. Vidit hic unum in Græci Marmoris interpretatione deſiderari, Meteorologi-

cam videlicet de Dioſcuris diſputationem, quam in eo rerum ſtatu implacatiſſimo confeſtim abſolvit ſucciſſivis horis, iter agens, & in pugillaribus ſubinde deſcribens. Hanc, ut ſolet eſſe in omni officii genere humaniſſimus, ad me mittere non eſt dedignatus, ut quam nominis immortalitatem mea mihi merita, & facta laudabiliter comparare nunquam poterunt, eam viderer ipſius benigna conceſſione aſſecutus. In cujus beneficii partem vocandus jure videtur Vir Clariſſimus Antonius Valliſnerius Medicus, ac Philoſophus celeberrimus, & amicorum ſuorum gloriæ magnopere deditus, cujus literis ad tantum Præſulem, cum primum Romam veni, mihi aditus patuit, atque ad decus tam illuſtre, quam illuſtre eſt a laudato Viro laudari. Ceterum non eſt meum de illis, quibus Lanciſiana redundat Diſſertatio, pronunciare ſententiam. Sunt enim ab inſtituto meo aliena, atque e Phyſicis, Mechanicęque pe-
ne-

netralibus cuncta petita. Ejus ſimiles ferant judicium, qui ſummam Auctoris doctrinam, maximum ingenium, paremque ſubtilitatem profecto admirabuntur. Ac ſi Iſocratem ſuſpicimus, quod ſolutis verbis numeros primus adiunxerit, certe credo inter ampliſſimas Lanciſii laudes hanc a legentibus habitum iri, dum in Medicis, ac Philoſophicis quæſtionibus eloquentiam libere ſpatiantem, regnantemque ex vera majeſtate induxerit, ac effecerit, ut quæ cum ſeveritate audirentur, eorum ſatietati ſtili ſui nitor occurreret. Verum Præſulem hunc qui norunt, tam præclare a ſummis virtutibus paratum affirmant, ut ſupra quamlibet commendationem poſitus videatur. Ergo, quæ quondam ad eum ſapientiſſimus Epiſcopus noſter Philippus a Turre in quadam Epiſtola ſcripſit, merito a me repetenda eſſe conſebo. *Perge, Lanciſi, Artem hanc tuam nobiliſſimam, & Cælo olim dicatam excolere, & promove-*

Ext. in Oper. Lanciſ. edit. Genev. 1718. tom. 2. p. 376.

 re,

re, ſcriptiſque tuis celeberrimis, & medendi ratione, & uſu fac nobis Medicos tui ſimiles, vel ſi hoc ſperare vix liceat, doctrina, & experientia tibi quam proximos.

Denique, quod attinet ad Abb. Blaſium Caryophilum, eruditis omnibus magna doctrinæ, & ſcriptorum ſuorum fama abunde cognitum, alia via marmoris explicationem tentavit. Lector videat uter punctum tulerit, Silveſtrius ne, an Caryophilus. Equidem de his duabus Diſſertationibus integram ad eos conſultationem rejicio, qui utrique minus atque ego ſim, amicus judicetur. Genus enim cauſſæ eſt hujuſmodi, ut verus judex ſit potius ex inimicorum ordine diligendus. Video tum Lanciſium, tum Caryophilum ipſum multum in Silveſtrii interpretatione ponere, nihil ut de ejus ſententia detractum velit. *Quis enim* repetam cum Livio, *rem tam veterem pro certo affirmet*? Senſit Camillus votum ab Argenida Dioſcuris nun-

l. 1. c. 3.

nuncupatum in Anaglypho contineri, ut illi poſt mortem ſepultura contingeret; tantamque ad inſtitutum comprobandum eruditionem deprompſit, ut nullum ultra dubitandi locum reliquerit. Credit Caryophilus, ſacrum eſſe ab Argenida factum, quod proſpera navigatione ſit uſus, atque incolumis in patriam pervenerit. Et hic officium ſuum perſolvit cumulate, omnia ad Lacedæmoniorum ritus traducens, Polemonis teſtimonium ſecutus. Explicavit veſtem, qua in Marmore induuntur Dioſcuri illius more gentis: de pileis horum Numinum propriis diſputavit, vocemque ΑΝΑΚΕΙΟΝ animadvertit a Lacedęmonibus uſurpatam, quoties Caſtoris, & Pollucis Templum ſignificarent: putavit Argenidam a Lacedæmoniorum gente, & ſtirpe oriundum, cum ſit memoria proditum, tum in alias terras, tum maxime in Italiam illum Populum Colonias deduxiſſe. Certe ut de Tarento, quod *Lacedæmonium*
b 4 ab

lib.3. od.5. ab Horatio vocatur, nihil dicamus, conſtat eos vel in Campania fixiſſe ſedes, atque uſque in Bruttiorum, Samnitium, Sabinorumque loca penetraſſe. *Quid tractus omnis Cam-*

Iuſtin. lib. 20. cap.7. *paniæ? Quid Bruttii Sabinique? Quid Tarentini? quos Lacedæmone profectos accepimus*. Omnia omnino erudite, & graviter a Caryophilo excogitata ſunt, tantaque moderatione expoſita, ut vim legentibus nullam afferat, ſuam ut veriorem quam Silveſtrii opinionem credamus. Imo vero optionem cuique facit utram harum amplectendi ſententiam. Neutrius igitur quidquam de dignitate imminutum volumus, qui utriuſque in unum argumentum ſcripta vulgamus. Non aliter certe viam ad veritatem deducentem plerumque inimus; quæ quamvis una ſit, non tamen ita ſit obvia quærentibus, ut primo quoque veſtigio poſito, primoque veluti extra fores tramite tentato eam reperiſſe nobis ipſi gloriemur. Prӕterea, ut in aliis nihil

nihil immorer, pleraque eorum quæ antiquitatem circumſtant, iis videntur difficultatibus obſtructa, ut ſæpe judicii noſtri infirmitas dignoſcatur, atque invenire quod cupiant, doctiſſimi quique diffidant. Opportune ergo illa Ciceronis ad hunc locum arbitror pertinere: *neque noſtræ diſputationes quicquam aliud agunt, niſi ut in utramque partem dicendo, & audiendo, eliciant, & tamquam exprimant aliquid, quod aut verum ſit, aut ad id quam proxime accedat.* Cum in multis libris virorum literatiſſimorum hæc opinionum variis de rebus diſcrepantia mihi præſto fuit, tum perſpicuam, ac manifeſtam ſe obtulit in Appendice ad Mercati Metallothecam Romæ nuper editam; ubi cum Joanne Baptiſta Morgagno ſummam humanitatem ſummę doctrinę adjungente de mortis genere, quo Cleopatra occubuit, decus meum Lanciſius diſſeruit. Ne vivam, ſi alterum alterius lenius *Acad. quæſt. lib.2.*

nius, ac liberalius unquam vidi inſtitutum convellere. Attamen hę de quęſtione illa literæ in publicum prolatę cernuntur: nihilque amici ſuaviſſimi laborarunt, utri lector calculum ſuum eſſet adjecturus. Quare non minus vere quam ſapienter tali ſuper re Lanciſius pronunciavit: *quemadmodum inertiſſimæ ſegnitiæ eſt, ea diligenter non expendere, quæ dubia ſunt in Hiſtoria, ita delicatiſſimi eſt animi, eos ægre ferre, qui a noſtra ſententia diſcedunt.* Legantur igitur omnia omnium libenter: atque Camilli noſtri Opuſculum, aliis nos alio vocantibus, diligenti, politaque modeſtiſſimi amici cura recognitum, & collatum, benigne excipiatur una cum ejus vita, quam ſcribendam ſuſcipio, non ut hinc in Silveſtrii nomen majorem amplitudinem derivaturum me eſſe ſperem, ſed ut tenuem de tantis virtutibus habens ſermonem poſſim vulneri ob illius mortem altius pectori infixo parumper mederi.

Epiſt. 6. ad Morgagn.

Digitized by Google

APPROBATIONES.

DIſſertatio in Græcum Anaglyphum conſcripta per Comitem Camillum Silveſtri, literariis in Faſtis celebrem, redditur hodie illuſtris, excitatis Clariſſimorum Virorum ingeniis ad lucubrationes doctrina atque eruditione lectiori præſtantes, illi adiiciendas. Cum ſingulas perlegerim, mandante Reverendiſſimo Patre Gregorio Selleri, Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtro, nec quidquam offenderim Chriſtiani Criterii legibus adverſum; prælo committi poſſe cenſeo, ſi Magiſtratus permiſerint, penes quos auctoritas iſta eſt. Id teſtandi gratia ſubſcripſi ex Ædibus ad Quirinalem v. Eidus Decembris MDCCXIX.

Franciſcus Blanchinus.

CO-

COmitis Camilli Silveſtrii Rhodigini diſſertationem poſthumam in Anaglyphum Græcum jubente Reverendiſſimo P. F. Gregorio Selleri Sac. P. Apoſt. Mag. legi: eoque libentius id præſtiti, quod obſervantiam, qua vivum Silveſtrium colui, hoc tenui licet officio in eundem vita functum ſic mihi fas eſt renovare. Eum, dum viveret ſemper merito ſuſpexi cum ob eximias ejus virtutes, ſummam eruditionem, omniſque antiquitatis peritiam, tum vero non minus amavi, quod intima ſua conſuetudine humaniter me dignabatur. In hac ejus diſſertatione legenti nihil occurrit, quod cum Orthodoxa Religione, probatiſque moribus non conſentiat. Quod idem omnino cenſeo de doctiſſima omnibuſque elegantiæ ac eruditionis numeris abſoluta diſſertatione Illuſtriſſimi ac Reverendiſſimi Joannis Mariæ Lanciſii Archiatri Pontificii, quem vel ſolum nominaſſe ſufficiat, cum Reipublicæ litterariæ ob alia inſignia

gnia opera ab ipſo edita ſatis ſuperque notus ſit, atque ſumma ex iis do. ctrinæ ac eruditionis gloria ſibi parta omni laude major, celeberrimum ejus meritum prodat. In partem ejuſdem laudis venit V. C. mihique ſingulari amicitia junctus Abbas Blaſius Cariophylus, qui qua valet Græcæ, ac Latinæ antiquitatis penitiore notitia, Anaglyphum tam erudite illuſtrat, ut Anaglypho tenebris obvoluto plurimam lucem affundat, atque felicius obſcuritatem, quam Silveſtrius morte præreptus non omnino diſiecit, ipſe alia via diſpellat. Laude tamen, quam meretur, fraudandum Silveſtium non judico, cum in hujuſmodi rebus vetuſtate obſcuris aliis alia ſentire fas ſit; quod Silveſtrio ſuam, quam vero propi. rem credidit, opinionem tutari conato, licuiſſe, nullus æquus antiquitatis judex abnuet. Hæc mea de tri. bus his diſſertationibus ſententia, quam æquis rerum æſtimatoribus probatum iri nullus dubito.

Ro-

Romæ e Cœnobio Minervitano Pridie Idus Decemb. MDCCXIX.

Fr. Thomas Maria Minorellus Ord. Præd. S. Theol. Mag. ac Bibliothecarius Caſanatenſis.

Digitized by Google

Digitized by Google

I N D E X

Vita Co. Camilli Silveſtrii Rhodigini.

Diſſertatio Epiſtolaris V. Cl. Joannis Mariæ Lanciſi.

Interpretatio Comitis Camilli Silveſtri in Anaglyphum Græcum.

CAPUT I.

SOliciti viventes, ut ſua corpora diu poſt mortem ſerventur. Ritus gentium curandi cadavera. Romanorum, & Græcorum mos comburendi corpora, vel ſepeliendi integra. Quodnam cadaver ſepultum dicatur.

CAPUT II.

Infauſta veteribus ſepulturæ privatio. Hæc inter atrociores pœnas repoſita. Hinc ſtudium cadavera expoſita tumulandi. Adverſa Numina illis, qui hoc neglexiſſent.

CAPUT III.

Sacrificium, & Donaria Dioſcuris ab Argenida ob ſepulturam oblata. Voti cauſſa ab eo hoc marmor poſitum. Græcus Auctor monumenti hujus. Potuit fuiſſe & Trojanus. Religio, mores, ſermo, ſcribendique genus eadem Græcis ac Trojanis.

CAPUT IV.

De Veſtitu Argenidæ. Cur veteres ſepulturæ privationem tantum abominati. Argenidas communi cum gentibus aliis ſuperſtitioni deditus. Variæ nuncupandi vota rationes.

CAPUT V.

Cur Argenidas effictus capite aperto contra morem ſacrificantium. De origine in ſacris velandi capitis. Unde hic mos emanavit.

CAPUT VI.

Caſtoris, & Pollucis hiſtoria breviter perſtricta. Navium, & Navigationis hi Dii preſides. Non ideo probatur, Votum hoc ab Argenida ſolutum naufragii evitati cauſſa. Id fuſe oſtenditur.

CAPUT VII.

De Pileolo in capite Dioſcurorum. Ad id nummi producti. De eorum veſtitu. Hinc ratio ducta Argenidam Trojanum credendi. Prolati in medium Nummi, & Anaglyphum, unde varia veſtium ratio Dioſcurorum demonſtretur.

CAPUT VIII.

Amphoræ Dioſcuris oblatæ. Eæ vino plenæ, vel tantum ut Templo ornando inſervirent. Vaſa quacunque materia ac forma confecta dicata Numinibus. Duplex vini uſus.

CAPUT IX.

Anguis Argenidæ Genium ſignificat. Viventium tantum proprius eſt Genius. Serpentes vino delectantur.

CAPUT X.

Sus Dioſcuris ab Argenida oblatus. Varia genera victimarum iiſdem Numinibus dicata. De albis & nigris victimis. Sues in ſacris frequentiſſimi.

CAPUT XI.

Ubi Anaglyphum noſtrum repertum, ibi ſacellum Dioſcuris ſacrum. Id ex voce ANAKEION *deductum. Dioſcuri Anaches, aut Anaces appellati. In Marmore Dioſcurorum ſacellum indicatum. Opus clauditur.*

Diſſertatio Epiſtolaris Abb, Blaſii Caryophili.

FINIS.

De Morte Joannis Mariæ Lanciſii quæ inchoata editione hujus operis accidit.

Digitized by Google

Digitized by Google

URBIS RHODIGINÆ

DUUM VIRIS ORNATISSIMIS;

Totique Patriciorum

ORDINI NOBILISSIMO

JOANNES OLIVA

S. D.

INgentem, Viri nobiliſſimi, Comite Camillo Silveſtrio e vita ſublato, dolorem animo vos hauſiſſe accepimus, dum in ejus funere, quod frequentes magno cum ſqualore, luctuque du-

xiſtis, eam Patriæ, vobiſque calamitatem illatam eſſe indicaſtis, de cujus levamento ac præſidio omnino in poſterum deſperaretis. Nec ignoro nunc quoque vos incredibili tanti Civis deſiderio torqueri, non quod noſtra publica ad quorum gubernaculum pari vos fide ac probitate ſedetis, quidquam periclitari poſſe credatis: ſed quod e complexu veſtro divulſum illum ægerrime fertis, ob cujus multa & magna in Civitatem, & literas merita verſari adhuc vobiſcum, vobiſcum ſummæ rerum præeſſe velletis. Triſtitiam hanc ego veſtram, qua ratione poſſum, ſolari contendo, Vobis Camillum reſtituens tanta famæ atque æternitatis celebritate conſpicuum, quanta in omnem memoriam prædica-

dicabitur de Clemente XI. Pontifice Maximo, cujus inauditæ benignitati præſentem hanc vitam, & decus nunquam interiturum refert acceptum. Reviviſcit ille igitur, vobiſque conſiliis ſuis, & exemplo præſto eſt, atque omnibus ſe ſe, mores ſuos, ac virtutes imitandas proponit: quod ſi a vobis opportune fiet, erit certe quod de altero hoc vitæ genere uberiore voluptate vobis ipſi gratulemini.

Silveſtria gens, quam veteri Nobilitate præditam magna cum dignitate florentem in Rhodigina Urbe intuemur, cum in omni genere honeſtarum Artium peritos homines ſemper edidit, tum maxime natum XIV. Calen. Julii, anno MDCXLV. Alexandro Silveſtrio,

&

& Anna de Angelis parentibus, Rhodiginis Nobilibus, Comitem Camillum, cujus fama tanta paſſim celebritate percrebuit, ut non ſolum a viris ſui ſimilibus noſtræ Civitatis eruditiſſimus, ſed etiam inter Italiæ doctiſſimos numeraretur. Atque hanc tam præclaram de ejus ſcientia opinionem illi promerita eſt omnis antiqua doctrina, qua mirifice excelluit, & Juvenalis, ac Perſii optima in linguam Italicam verſio, Notæque ſelectæ, quas qui legerunt, eos conſtat per literas, & palam eſſe teſtatos, de hujus præſtantiſsimæ Urbis inſtitutis, ac moribus eum perinde diſputaſſe, ac ſi, quod ait Bonciarius de Lipſio, vidiſſet Romanorum Rempublicam, & actis omnibus reipſa iuterfuiſſet. Non eſt hic a

Bonciar epiſt. ad ſenſ. ext. in lipſii oper. poſt. ejus vitam.

me

me illorum ineundus numerus, qui Camillum arcta amicitia devinctum habentes, per epiſtolas de illa tanta virtute honorifice, magnificeque ſenſerunt. Hæc enim atque alia id generis plurima brevi vulgaturus eſt ordo ille literatiſſimorum, qui Venetiis quidquid ab eruditis, doctiſque pro Italicis ſtudiis utiliter geritur, ſolet graviter copioſeque conſcribere. Eum certe memini mihi ſæpe literas oſtendiſſe Juſti Fontanini ab Honorario Cubiculo Clementis XI. P. M. Philippi Bonarotæ Senatoris Florenrini, Illuſtriſſimi Feronii noſtri amiciſſimi; & Apoſtoli Zeni, Veneti Civis, Virorum Clariſſimorum, qui propter multa, & ea quidem doctiſſima volumina edita, quemadmodum omni digni

laude

laude ſunt judicati, ita commendatione mea non indigent, cum ſciant meum nomen penitus in obſcuro jacere. Juvabit itaque, qui Silveſtrium publice in libris ſuis ornandum cenſuerunt, eorum duntaxat nomina commemorare. Antonius Caramanæus in Notis ſuis ad Ovidii Faſtos: ampliſſimus Mo-
To.1.pag. 38. nachus Joannes Mabillonius in Itinere Italico: & in Diſſertatione de annis Imperii Elagabali celeberri-
Pag. 4. 175. mus Epiſcopus Philippus a Turre,
tom. 5. 8. 29. ne multa de eodem multis in locis in Diario Veneto loquar factam eſſe mentionem, tam decora eum recordatione honeſtarunt, ut de maximæ eruditionis homine nihil ſupra dicendum eſſe videatur. Immo cum hoc tanto Præſule, quandiu vixit, tum exquiſita probitate,

tum

tum ſocietate ſtudiorum fuit adeo coniunctus, ut alter alterum ſæpiſſime inviſeret, atque inter ſe, quod ſapientiſſime meditarentur, & ſcriberent, id ſumma ſuavitate conferrent. Qua mutua animorum conſenſione fiebat, ut illa Plinii ſæpe repeteret: *o jucundas, o pulchras vices, quam me delectat! quod ſi qua poſteris cura noſtri, uſquequaque narrabitur, qua concordia, ſimplicitate, fide vixerimus.* Neque hic prætereibo P. M. Thomam Mariam Minorellum, illo tempore apud Philippum a Turre Theologi munere egregie fungentem, nunc vero Bibliothecæ Caſanatenſis cum doctiſſimo P.M. Benedicto Joannello Romæ cuſtodem, quem magno candore animi præditum, ſcientiis graviſſimis,

lib.9.epiſt.20. ad Tacit.

po-

politiſſimiſque artibus inſtructum cum animadvertiſſet, amore uſque ęo proſecutus eſt, ut in hujus a Patria mea diſceſſu parcere ſe lacrimis non potuiſſe; non ſemel mihi indicaverit. Adeo inter honeſte facta, quorum cultor acerrimus, ac defenſor prædicatur, amicitiæ jura diligenter ſanctequé ſervavit, ut nunquam eadem nec domi, nec foris ipſius cauſſa fracta, aut violata in vita ſciamus. Quin etiam cum me dimiſſis omnibus, de literariis, ac de variis rebus in colloquium adhibere non dedignaretur, pateretur que me intimam ob familiaritatem ſecum libere verſari, vox ejus præclariſſima meę adhuc memoriæ inhæret, ſexaginta, & eo amplius ſe natum annos nunquam cum ſuis fuiſſe in ſimultate,

nec

nec in gratiam cum ullo rediiſſe. Quæ ab illo pronunciata opinor, ut intelligerem, vitam ejus uſque ad illud tempus ejuſmodi conſilio, comitate, atque indulgentia temperatam fuiſſe, ut non modo nocuiſſet nemini, verum etiam omnibus ſatisfeciſſet. Qua quidem laude ſentio pariter Camilli filios omnes merito donandos, quorum innocentes mores tum honeſtiſſimus quiſque mirifice probat, tum præſertim Senator Venetus ampliſſimus Joannes Dominicus Theupolus non ſolum Muſeo illo rariſſimis nummis totius Europæ abundantiſſimo, ſed etiam antiquitatis ſcientia inſignis: item Patricius Venetus Andreas Redettus, una cum Marco, Antonio, tanto patre natis, viris ſtudioſiſſimis, quorum

rum in me merita nulla unquam ſi-
nam oblivione deleri. Huc acce-
dat incredibilis illa benevolentia,
qua Petrus Maria Torrellus Mina-
dous Canonicus religioſiſſimus, &
pro Epiſcopis noſtris in Rhodigina
Urbe vicariam operam graviter,
docteque exercens: & qua Petrus
Antonius, & Joannes Paullus, fra-
tres optimi, ac Franciſcus Man-
fredini, amici mei veterrimi, at-
que ornatiſſimi Rhodiginorum,
Silveſtrios omnes ſunt ſemper am-
plexi. Quorum nomina hic ideo col.
locata volui, ut iiſdem innoteſcat
veras amicitias tanto magis ubique
laudari, quanto rariores in terris
eſſe videntur, quos ad amandum
non res, ac fortunæ, ſed ipſæ per ſe
virtutes impellant. Ut vero ad
Camillum reditus fiat, talibus de
cauſ-

cauſſis, quas ſuperius commemoravi, non tantum iis, quibuſcum illi erat quotidiana conſuetudo, cariſſimus eſt habitus, ſed quoque viſus omnibus acceptiſſimus, qui in noſtram Urbem ad eum de facie noſcendum venirent, & ad contemplandum delectum antiquarum rerum, quas idem, præter aliquot in Agro noſtro effoſſas, e longinquis locis quovis ſumptu Rhodigium aſportandas curaverat. Difficile dictu eſt, quanta pecunia, quanto labore numiſmata, ſaxa, ac cetera veterum ætates illuſtrantia Camillo noſtro ſteterint; cujus ſi Patria omnibus, quæ ad vitam alendam pertinent, inſtructiſſima ſemper eſt credita, caruit omni opportunitate parandi ſimilia. Quapropter rem miraculo pro-

ximam judicamus ; quæ natura loci, ac alia incommoda a nobis prohibuerant, ea per ſummas contentiones congregata ſuſpicere. Omnia hæc ſervantur in Silveſtria Domo: ubi inter alios Nummorum ordines, argenteus Conſularis Familiæ Horatiæ Nummo nec illo a Trajano reſtituto, ſed vere germano celebratiſſimus, & præſtantiſſima marmora magnifice habitant, quæ ex Pignorio, Corradino, Tomaſino, & aliis collecta Cl. Eques Sertorius Urſatus Patavii merito in ſuis Ædibus oſtentavit; ut aliquot omittam ab eruditiſſimo Patino poſſeſſa, atque explicata. Extant hæc in Muſeo perquam eleganti, extabuntque ſemper in poſterum, cum in iis, & maximum ejus gentis, & totius

Civitatis decus ſitum eſſe arbitrentur amantiſſimi fratres, Aurelius Canonicus in Divi Stephani Templo, quod virorum ſpectatiſſimorum Melchioris Manfredini Archipresbyteri, & Joannis Roſini Archidiaconi vigilantia, & ſumma noſtrorum pietas in pulchriorem formam, amplitudinemque redegit; Joannes, Rainaldus, & Carolus præſertim, qui non ſolum naturæ, & probitatis paternæ, verum etiam quamdam ſimilitudinem contendit referre doctrinæ. Alios jam ille filios ſuſceperat, quos inter Primum, atque Alexandrum, qui in Bello Peloponneſiaco anno MDCLXXXX. contra Turcas a Venetis geſto ſtrenue pugnantes una cum navi incendio abſumpti ſunt. Quorum meritorum

cauſſa Senatus Veneti decreto Comitis nomine, præmiiſque aliis ad hoc decus pertinentibus ita Pater fuit honeſtatus, ut laus hæc non quidem in illo deſineret, ſed æterne in omnes Silveſtriæ familiæ poſteros prorogaretur. Cum igitur Camillus tot in ſuis ſedibus erudita monumenta ob oculos propoſita haberet (cujus quidem ſtudii deſiderium, & a doctiſſimo Octavio Ferrario, quem Patavii audivit, & a Patino, quocum familiariter eſt verſatus, fuiſſe illi excitatum judico) nihil mirum ſi uſu ſimilia tractandi creberrimo, & magna legendi exercitatione, cui diu, noctuque dabat operam ſedulam, veriſſimus audiret judex antiquorum: ſi in varios Academicorum cœtus Italiæ, ac potiſſi-

mum

mum in Arcadum Romæ numerum cooptaretur: ſi ab externis, noſtriſque conſuleretur de omnibus: ſi in ſententiam ejus veluti ſagaciſſimi æſtimatotis pedibus diſcederetur. Et ſane quod attinet ad ſtudium improbum, quo quotidie utebatur, quodnam illi fuerit vacuum tempus, prorſus ignoramus. Scimus quidem niſi importunis hortationibus, & clamoribus amicorum a literario abaco ne tantiſper quidem abſtrahi potuiſſe, dum in Hortis, quos amęniſſimos habuit, modica fieret, levandi animi cauſſa, deambulatio. Ac ſi quando precibus aliorum paruiſſet, exiguo admodum emenſo ſpatio, tædio affici videbatur, ſeque ipſe excruciare, pronuncians cum Plinio: *Poſſumus has horas non* *Plin. l. 3. epiſt. 5. ad Marcum.*

 per-

perdere. Itaque in Muſeum ſuum ſe recipiebat, in quo legentem, ſcribentem, excerpentemque perpetuo videbamus. Oculatum certe me teſtem produco, qui a Silveſtrio fui ſemper humaniſſime exceptus: qui doctus pariter ejus ſermone graviſſimo: qui, qua erat in ſuis amandis philautia, ac pervicacia nulla, ad ipſius ſcripta legenda ſæpe adhibitus, obſtrictuſque tamquam jurejurandi fide, ut quæ ſentirem, aperte, libereque depromerem. Quamquam palam hic profiteor, propter tenuem admodum facultatem, quæ in me ſemper fuit, nullum me illi adiumentum attuliſſe. Contra vero teſtatum velim omnibus, nunquam me niſi eruditiorem, & cum uberiore ſcientiæ fœnore ab ejus colloquiis

quiis diſceſsiſſe, admirantem, quod vir præclariſsimus, qua labenti Rhodiginæ rei in auxilium adſcitus, qua in maximis muneribus, quæ nunquam optavit, occupatus, qua diſtrictus domeſticis administrandis, dum Civis optimi, ac Patrisfamilias diligentiſſimi partes impleret, eo otio abundaret, quod ſtudenti, lucubrantique libros ſufficeret. Et tamen conſtat de Patria, de Domo ſua; quam recte, ſplendideque conſtitutam reliquit, ac demum de literis cumulatiſsime eſſe meritum per volumina ab ſe edita, perque alia multa vulganda. Immo multo plura tentantem vidiſſemus, ſi in Urbe aliqua libris copioſiore vixiſſet. Animadverterat hoc ille, qui, quoties in ſcribendo quædam offende-

ret niſi plurimorum voluminum præſidio non ſuperanda, Romam ſæpius inclamaret. Quo ſi per publica, ac privata negotia accedere ipſi licuiſſet, citatis quidem equis huc advolaſſet. Revera his infeſtis ignorantiæ temporibus uberrimam eſſet nactus ſuæ cupiditatis explendæ materiam. Næ ille non ſine inſolito ſtupore quodam tot Bibliothecas librorum delectu, ac numero in primis commendandas inviſens, quot, ac quanta ſibi antea ignota diſcenda intellexiſſet. Id ipſum mihi profecto accidit, cum primo aſpexi Vaticanam Bibliothecam ineditis Codicibus refertiſſimam: Caſanatenſem, in qua innumera pene volumina nunquam viſa, ac plurima ne nomine quidem cognita repente

oc-

Digitized by Google

occurrerunt. Nec diſpar admiratio ſubiit animum, cum alias e celebrioribus adii, inter quas merito ſuſpexi illas Eminentiſſimorum Cardinalium Barberini, Othoboni, Imperialis, Gualterii: nec minore dignas laude cognovi, quas tenent eruditiſſimi Præſules, & in iſtam ingenii mei tenuitatem propenſi Philippus Montius, Dominicus Paſſioneus: & quam inſtructiſsimam Archiatrorum ampliſsimus Joannes Maria Lanciſius in Archinoſocomio Sancti Spiritus addixit publico uſui, conſtituto annuo cenſu, quo in dies magis augeatur. His adiicienda videtur Bibliotheca in Archigymnaſio Sapientiæ: Angelica in Divi Auguſtini Cœnobio, ut ceteras apud omnes ferme illuſtres Viros ſervatas

tas

tas omittam. Non tamen omittere poſſum Pontificiam librorum multitudine codicumque rariſsimorum copia cuilibet Urbis plane parem, quæ in Albana Domo magnificentiſsime paratur; quam narrationem inire placuit, ut Italis, tranſalpiniſque Gentibus conſtet, quam ſit Clementina hac ætate optimis Artibus Roma dives, ſtudentibuſque opportuna. Quamquam, ut ad Camillum noſtrum ſe referat oratio, ſi vota eſſet Romam adveniens conſecutus, timendum erat, ne citius illum, viribus nimia contentione detritis, amiſiſſemus. Fuit potius maxime optandum, ut minus ſe ſtudio ingurgitaſſet, quo ſibi, bonitatis Matronæ lectiſsimæ, filiis, amicis, Patriæ, & antiquitati diutius ſuper-

perſuiſſet. Camilli enim quamvis valde firmam corporis conſtitutionem ac ferme in tota ſenectute con. ſtantem, extremis annis magnæ vigiliæ laboreſque ſtraverunt. Nam editis Juvenale, ac Perſio, eoque commentario illuſtratis, qui totam eruditionem exponeret, tantam curam, & cogitationem in Chronologico Opere cum Numiſmatis collato, atque in Hiſtoria Agri Rhodigini abſolvenda defixit, ut aſperrimis calculorum cruciatibus torqueri miſere cœperit. Qui quidem morbus, etſi multoties quaſdam per artem inducias fecerit; poſtremo tamen ſtabilem inivit pacem, ut literis, & amicorum temporibus ſatis commode potuerit inſervire. Verum multo poſt, cum diutius nobiſcum victurum

Duo hæc opera inedita ſūt Italice ſcripta.

rum

rum incolumem ſperaremus, tum febris illum, & pleuritis invaſit, treſque,ac ſeptuaginta annos agentem nobis eripuit VIII. Idus Januari anni præteriti cum gtavi mœrore luctuque bonorum omnium, cujus in funere Marchio Paullus Manfredinus præſtanti ingenio, atque eloquentia vir graviſſimam Italice laudationem recitavit, civeſque publico decreto honorificentiſſimis monumentis ejus nomen decoravere. In quo quidem Marchio Manfredinus Cœlium noſtrum imitatus videtur, qui in Præfatione ad Petrum Antonium Silveſtrium Compatrem ſuum, funebrem teſtatur ſe orationem habuiſſe in morte Hieronymi Silveſtrii, quem multis in ſe meritis clarum magnopere coluit, cujuſque jacturam

Præfat. in lib. 24. Antiquar. lect.

tam

tam ægre tulit, ut in dicendo *lacrimis veris, ſpirantibuſque inter crebros ſingultus ſubinde interpellantes oratorium munus implere vix licuerit*. Credo equidem Camillum ex vera pietate, atque honeſtate in terris actæ vitæ nunc apud ſuperos mercede lætari, & potiſſimum ejus modeſtiæ fructu, quam inter alias virtutes maxime exeruit, gloriam fuga ejus, ac negligentia in dies magis augere contentus. Quæ enim perceperat, iis ad vitam regendam, ad animi motus compeſcendos, quo ſtudia omnia ſpectare unice debent, non ad oſtentationem, audaciamque ſumendam eſt uſus, retinuitque, quod eſt difficillimum, in ſumma doctrina modum. Spero quoque ex illis beatiſſimis ſedibus proſpectu-

rum Camillum in me, quod tam honorifice ejus cauſſa inſtruxi Romæ parentalia: & quod, quæ nulli adhuc Auctorum noſtrorum contigit, non Cælio, Riccobono, Nicolio, Frachettæ, Bruſonio, Minadoo, Bonifaciis utriſque, eximius per me obtinuerit, ut apud CLEMENTEM XI. ipſius recordatio celebraretur. Certus ſum interea a Rhodiginis meis, ac præſertim ab ingenioſiſſimis juvenibus, quibus Urbs noſtra ſemper frequens fuit, habitum iri honorem etiam defuncto viro: qui profecto amplior, cariorque haberi non poterit, quam ſi non ad ſocordiam mentes alioquin ad magna natas dejiciant, neque voluptatibus obtemperent; ſed ſi Bibliothecam publicam nobis Bonifaciorum libera-

beralitate legatam ſæpe adeundo toto pectore literis ſe dedant, atque in eandem ſpem immortalitatis erigantur. Ad hoc, quamvis magno locorum intervallo diſiunctus, hortor enixe unumquemque, atque excito, cum rectior via nulla pateat, in quam ingreſſi majorum noſtrorum, & Camilli dignitati reſpondeamus, memoriam nominis efficientes ſempiternam. Sic ejus exempla venerando, dictaque, & facta omnia nobiſcum volvendo, non mortalis corporis figura vigebit, ſed tanti animi forma, quam tenere, & exprimere non tam per ficta ære, aut Marmore ſimulacra, quam moribus noſtris ipſi poterimus.

Reliquum eſt interea, ut Chronologiam, quam ille reliquit abſo-

lutiſ-

lutiſſimam, & quæſtionibus de illo genere difficilioribus ad ſeverius examen vocatis, diſcuſſiſque refertam emiſſam in publicum quamprimum videamus. Veſtrum vero erit, Duumviri Ornatiſſimi, cogitare, an Hiſtoriam Agrariam documentis nondum vulgatis illuſtratam, multiſque firmatam indiciis ad priſca ac recentia Rhodiginę Provincię decora pertinentibus, diutius in hominum ignoratione verſari velitis. Illud quoque ad vos velim pertineat unice, peritiſſimos nimirum graviſſimoſque viros aliquos de Ordine veſtro ſeligere, qui libros a noſtræ Provinciæ Auctoribus in lucem productos conquirant, privatorum Tabularia diligentiſſime excutientes, comparanteſque inedita quęvis, velut

lut Bronzerii elegantiſſima ſcripta, ut lectis omnibus, quæque ad rem pertinebunt, excerptis, Rhodiginorum ſcriptorumHiſtoriam,Italarum Urbium exemplum ſecuti, conficiamus; quod eo facilius prꝯſtari poterit, dum jam ad hanc laudem per Bonifacium via demonſtrata fuit, qui de Viris noſtris illuſtribus in quodam libello manu exarato diſputavit. Hæc ſi vos perficienda curabitis, dum Patriæ, dum Civium, qui eoſdem ac vos magiſtratus olim geſſerunt, dignitati, nominique conſulitis, quæ ad ſingulos veſtrum ex hoc egregie facto gloria perveniet, non intra Urbis unius fines continebitur, verum cuncta terrarum loca in tempus omne percurret.

Imprimatur,

Si videbitur Reverendiſs. P. Magiſtro Sac. Palatii Apoſt.

H. Cervinus Epiſc. Heraclea Viceſgerens.

Imprimatur.

Fr. Gregorius Selleri Sacri Palatii Apoſt. Magiſter, Ordinis Prædicatorum.

DE NATURA ET PRÆSAGIO

DIOSCURORUM

Nautis in tempeſtate
apparentium

DISSERTATIO EPISTOLARIS

Viri Celeberrimi

JO. MARIÆ LANCISII

Archiatri & a Secretiore
Cubiculo

CLEMENTIS XI. P.M.

AD

JOANNEM OLIVAM
RHODIGINUM.

A

Digitized by Google

[illegible]

Digitized by Google

Viro Doctiſſimo,
Eruditiſſimoque

JOANNI OLIVÆ
RHODIGINO

JOANNES MARIA LANCISIUS

S. P. D.

CUM me, Vir doctiſſime, frequens convenias, ac literarios mecum ſermones ſerere conſueveris, ad eam ſuperioribus diebus narrationem dilapſus es, quæ mihi jucundiſſima fuit. Significaſti enim Illuſtriſſimum, ac Reverendiſſimum Præſulem Joſephum Mariam Feronium, cum ob ingenii præſtan-

tiam, atque eruditionem, tùm ob amorem erga literatos omnibus mirifice diligendum, a Comite Carolo Silveſtri Patricio Rhodigino accepiſſe diſſertationem per clariſſimum Virum Camillum ejus Patrem elucubratam in Marmoreum Græcorum monumentum, quo anaglyptice Caſtor præcipue, ac Pollux a Græcis Dioſcuri appellati, eleganter exprimuntur. Cumque alias mihi perſpecta eſſet doctiſſimi Auctoris celebritas; videram enim Italicam Juvenalis, & Perſii verſionem cum egregia interpretatione conjunctam ab eodem elaboratam, te rogavi, ut ejuſdem perlegendæ copiam mihi faceres. Poſtquam autem opuſculum perluſtraſſem, probe cognovi, quam merito ingenia Patriæ tuæ ab omnibus commendentur; nec citra ſummam rationem ab Hippocrate ſcriptum fuiſſe: *Sapientiam cerebro ab ipſo aëre exhiberi*: quorum ſane ingeniorum veſtigia tu te, Oliva ſuaviſſime, edito nuper in mar-

Camilli Silveſtri Diſſertatio in Anaglyphum Græcum.

Dictum Hippocratis. De Morb. Sacro. num. 17.

Marmor Iſiacum commentario magnis paſſibus perſequeris. Verum, cum Silveſtrium eo quidem in ſchediaſmate peritiſſimi Antiquarii partes omnes egregie impleviſſe (cujus profecto opinioni nihil detractum velim nec a me, nec ab aliis; pleraque enim in rebus antiquis variâ ratione ac methodo tentari ſolent: omnia tamen vera, quamquam vero proxima videantur, credi non poſſunt; ſed diverſis itineribus ad veritatem contenditur) unum tamen prætermiſiſſe deprehenderim, quod non tam ad antiquitatis ſcrutatores, quam ad philoſophos pertinet, ſcilicet Meteorologicam hujus argumenti diſputationem; hanc mihi, tanquam locum relictum integrum, ſumendam nunc reputavi, duo potiſſimum inquiſiturus, nimirum, & quid vere ſit, quod in rerum univerſitate Caſtoris, ac Pollucis, ſeu Dioſcurorum nomine deſignetur; & an bonum omen, quod apud Nautas portendere vulgo di- cun-

Meteorologica de Dioſcuris diſputatio non pertinet ad Antiquarios.

Quid ſit in natura Dioſcuri, & an fauſta nautis portendant.

cuntur, revera portendant. Hanc autem breviſſimam Diſſertationem, quam libenter ipſe ſcribendam ſuſcipio, tum ut laborem in libris de *Motu cordis* conficiendis graviſſimum, tum vel maxime, ut aſſiduam, acremque curam in adverſa Principis valetudine nuper ſuſceptam amœniori hoc ſtudio ſublevem, ac reficiam, tibi non ingratam, nec operi, quod literarum amantiſſimus, mihique cariſſimus Feronius de ſuo edendum ſatagit, penitus inutilem futuram cenſeo.

Lanciſii opus de Motu cordis.

Id igitur, ſi placet, primum videamus, quid Caſtoris, ac Pollucis, ſeu Dioſcurorum nomine a Scriptoribus accipiatur. Non eſt hoc loco, ut expectes, Vir amiciſſime, eas omnes hac in re ſignificationes me perſequuturum, de quibus Tullius locutus eſt, *Cœleſtium*, inquiens, *Divina cogitatio nomen eorum ad fabularum errores traduxit*. Si quis enim præter ea, quæ afferuntur, uberiora de fabuloſis Dioſcuris vide-

Tullii dictum de fabularum cauſis. lib. 5. Tuſculan.

videre cupit, adeat Cœlum Aſtronomicum, Poeticum, ſeu Mythologicum fixarum Stellarum a Philippo Cæſio exaratum, ubi tum Ægyptiorum, & Hebræorum, tum Græcorum, Arabum, & Latinorum fabulas omnes de Gemellis, de Caſtore, & Polluce, de Dioſcuris, aliiſque pene Synonymis hujus rei nomenclaturis inveniet. Illud utique compertum omnibus, acceptumque eſſe legimus, per vocem Caſtoris, ac Pollucis apud Aſtronomos deſignari verum complexum multarum Stellarum, quas in globo, ut ajunt, cœleſti gemellorum nomine ſpectamus, eaſque ad numerum 32. aſcendere putavit Bayerus. De iis vero, utpote tritis, ac pervulgatis ſideribus, quæ propitio aſpectu ex ipſa ſolis via, quam Zodiacum vocant, terraqueum orbem reſpicere exiſtimantur, plura hic aut quærere, aut diſputare ſuperſedemus.

Num. 3. pagin. 38.

Quid deſignetur Caſtoris, & Pollucis nomine.

Non ita tamen obiter prętereundum eſſe arbitramur (utpote ad

exornandum Marmoreum Silveſtri tui monumentum non parum forſitan conducens) Phaſim illam, quam Nautæ inter maximas quandoque tempeſtates ſpecie nunc unius flammei globi, nunc duplicis, aut numero plurium in apice præſertim Mali, ſe conſpexiſſe affirmant, ab Ethnicis Caſtorem, & Pollucem, atque etiam Dioſcuros, vel Tyndaridas vocatam fuiſſe, a Chriſticolis vero appellari ignem Sancti Helmi, vel Sancti Petri, & Nicolai.

Ignis S. Helmi.

Pauci de conſpectu, & præſagio Dioſcurorum ex veritate diſputarunt.

Quoniam vero vulgus hominum de horum conſpectu, præſagioque multa ſolet celebrare, pauci tamen philoſophorum genuinam eorundem naturam inveſtigare aggreſſi ſunt; idcirco nos rem adeo implexam pro virili parte expedire conabimur.

Profecto fides iis non eſt abroganda, qui ejuſmodi ignes inter procellas apicibus Malorum hærentes ſe perſpexiſſe aſſeverant: non enim cenſeo veriſimilem opinionem Metro-

tro-

trodori, aſſerentis id eſſe ſolam *micationem ab oculis videntium propter metum, & conſternationem ortam*: ſiquidem conſtans eſt narratio apud ſeniores, minuſque timidos Naucleros de hujuſmodi phęnomeni veritate. Ego vero oculatum horum Meteororum teſtem me proferre non poſſum, quippe qui ſemper cum morte tam cominus pugnare abhorruerim. At navigantium ſuffragiis teſtimonia quoque magnorum Virorum accedunt, præſertim vero Bacconis de Verulamio, & Renati des Cartes, qui ſatis plenam horum ignium hiſtoriam narrant.

Apud Plutarch. lib. 2. de Placit. philoſoph. capit 18.

Metrodori de Dioſcuris opinio.

Auctor vehi navi ſemper abhorruit.

Hiſt. Vent. Tit. prognoſis Vent. § 43. Metheor. capit. 7. § 4.

Cum itaque dubitari nequeat, quin hujuſmodi ſpecies in tempeſtatibus revera appareant, de illarum cauſis duo excogitari poſſe crederem. Prius quidem, phænomenum hoc ex luce ſincera, ſeu igne fatuo in Malorum ſublimi accenſo prodire, quam ſententiam alteri anteponimus. Poſterius vero idem induci a Stella-

rum

rum radiis interiora navium perva-dentibus per hiatum unum, vel plu-res ab ipſis Malis diffractarum nu-bium.

Quid Carteſius, aliique de hoc Igne ſenſerint.

Ut autem a prima exordiamur, tametſi Carteſius haud improbabili-ter conjecerit, exhalationes quaſdam quæ a gravioribus nubium partibus ſuperius aſcendere prohibentur, ac-cedentibus procellarum jactationi-bus, facile extricari, atque inter Ma-los, & antennas in ignem erumpere. Quod ſane parum diſtat a Xenopha-nis placito, quo ab heroicis uſque ætatibus (ut apud Plutarchum, & Galenum, ſeu potius Ae-tium legimus) *Stellas, quæ ſupra Naves apparent, paruas* putavit *nube-culas ob certum motum affulgentes*.

Locoſupr. cit. Hiſt. Philoſoph. Vide Proem. Julii Martiani Rotæ in citat. Gal. lib.

Auctoris ſententia.

Nos tamen veroſimilius duci-mus (ſi flamma hæc a ſincera emer-gat luce) ex mutua, magnaque col-liſione Mali, & partium aëris ſub nube inter maximas, & violentiſſi-mas tempeſtates oriri. Siquidem Ma-los naturâ ſuâ ligneos, pice ſemper illi-

illitos, atque oleo, peneque dixerim camphorâ, ſandaracha, vel alia conſimili bituminoſa, atque oleoſa materia obductos inveniri, quæ quidem Mali ſuperficies imbuta quoque eſt partibus ſalino-ſulphureo-volatilibus, quæ ob frequentem contrectationem e nautarum manibus emittuntur. Aërem vero ſub nubibus ſæpe ſæpius particulis nitroſis, ac ſulphureis ſolito majori copia ſcatere poſſe, exiſtimamus. Quamobrem probabiliſſimum nobis videtur, cum in procellis aër ipſe, Maluſque vehementer collidantur, lucidas interdum partes exſolvi, atque invicem permixtas, & agitatas in flammam collucere inſtar phoſphori, aut exuviarum piſcium, lignorum corruptorum, fatuorum ignium, ex paludibus, cœmeteriis, patibulis, aliiſque locis, ubi pingues ſulphureique halitus uberrime ſuppetunt; aut fulgurum ſine tonitru ex nubibus erumpentium; denique ſalinorum fluctuum, qui ſcopulis vehementer

alli-

alliduntur; atque etiam ſacchari in conum aluminis admixtione obdurati, & mercurii dulcis ſubito diffracti, e quibus per noctem vividam lucem micare paſſim animadvertimus. Præ cœteris autem hypotheſim hanc illuſtrat celebre illud, quod refert a ſe tentatum experimentum Hauksbee: nimirum cylindrum ligneum cerâ laccâ, quam Hiſpanicam dicunt, obductum per machinam ad id concinnatam ſummâ celeritate circumegit, viditque in tenebris affrictu manus claram lucem erumpere, & quaquaverſum diffundi. Quod quidem pulcherrimum phænomenum ſatis appoſite explicari poteſt, ſecundum ingenioſiſſimi Newtoni de luce, & luminibus ſententia. Conſentaneum ſiquidem rationi eſt, certa quædam corpora majorem præ aliis copiam lucidorum corpuſculorum continere, quæ, ſi per motum a reliquarum vinculis, quibus implicabantur, extricari contingat, illico in omnem partem proſiliunt. Idi-

In Experimēt. Mechanicis ex Anglica in Hetruſcam linguam Florentiæ tranſlatis.

pſum autem Chymicis experimentis elucefcit, quoties nimirum ſpiritus nitroſo - ſalini cum ſubtiliſſimis ſulphureis admiſcentur; tunc enim in flammam erumpunt: quemadmodum cernimus, ubi ſal argenti paratum cum ſpiritu nitri admiſcetur in vaſe vitreo ad cineres calidos ſpiritui terebinthinæ quam maxime defæcato; nam ſtatim mixtura hæc effervefcit, & in flammam abit. Vide Cohauſen de Phoſphoris.

Duplici ratione hic ignis extinguitur.

Sed ut ad noſtra revertamur, duplici ratione accenſam circa Malos lucem extingui poſtea veroſimile ducimus. Vel enim per ſuffocationem, nimirum cum aqueæ nubium partes undequaque irruentes lucida corpuſcula partim jam expedita obruunt, & cohibent, partim aliorum, quæ implicita retinentur, ſolutionem prępediunt; (conſtat enim hujuſmodi lumina in aëre tenuiori, ac præſertim in Boylianæ Antliæ recipienti exinanito diutius vegetiuſque conſervari: ſecus autem quo aër craſ-

ſior

ſior eſt, ac denſior, eò imbecillius, remiſſiuſque lucere, ac celerius emori) vel per defectum, ſcilicet cum particulæ magis volatiles, & actuoſæ a Malo ipſo exhauriuntur: quo fit, ut flamma, ſublato alimento, perinde, ut conſumpto oleo in lucerna, prorſus extinguatur.

Quare in mali vertice non in baſi Dioſcuri accendantur.

Quod vero in ipſius potius Mali vertice, quam in imis ejuſdem partibus Dioſcuri accendantur, id ex mechanicis principiis inferendum eſſe arbitramur. Nam cum navis, ejuſque arbor, parteſque omnes commune gravitatis centrum habeant circa medium, a quo Malus, tanquam haſta vectis, altiſſime conſurgit; certe quilibet navigii motus hinc appulſu urgentium undarum, inde vehementiſſimorum ventorum, qui vela inflent, ac diſtendant, tanto validior, & violentior, nedum celerior habendus eſt in Mali apice, quanto magis apex, ſervatâ ratione, diſtat a centro navis; quemadmodum accidit in extremo brachio ſtateræ,

Similitudo ſtateræ adducitur.

teræ, quod eo celerius, violentiuſque ob appenſum pondus deſcendit, quo magis diſtat ab hypomochlio. Ex mutua vero aëris, velorum, & Mali apicis colliſione turbo, aut turbines excitari poſſunt; veluti in fluminibus, cum nimia aquarum mole turgent, paſsim inducuntur. Ubi autem hæc in aëre circa Malum contingunt, neceſſario materia fluida in vorticem acta cogitur a centro recedere, indeque ipſius vorticis axis craſſiori parte evacuatus ſubtili igneâq; a Malo præſertim derivata materia irruente, flammam concipit. Simile quid animadverſum præcipue fuit in violento turbine anno 1686. excitato in Vallibus Agri Mantuani, in cujus verticibus flammæ magno concepto impetu uſque Forojulienſem tractum excurrerunt. In Mali itaque apice propter ſummam particularum agitationem, non vero in baſi, aut alia ejus parte, ſi cœtera concurrant, ignis accendi ſolet.

Turbo anni 1686. igne conflagravit.

Dein-

Altera opinio Auctoris.

Deinde quoniam effuſiſſimus naturæ campus omnibus patet, alteram omnino novam conniſus ſum opinionem promere, fortaſſe a veritate non alienam. Certum eſt, quam quod certiſſimum, nos per longiſſimos tubos, aut e profundis puteis ſuſpicientes interdiu etiam Stellas cernere. Nam putei, tubique latera ita Solis, circumfuſæque atmoſphæræ radios cohibent, ne intuentis retinam vehementer percellant, atque hac ratione Stellarum radii ad illius uſque oculos ſeorſim pertingentes nerveas retinæ fibras a Solis actione liberas ciere, ipſarumque Stellarum imaginem in iiſdem excitare valent. Hoc ſane exemplo præſumpto poſteriorem rationem ad ſolvendum Dioſcurorum problema afferamus. Quid enim vetat, quo minus navis ipſa, offuſis undique tenebris, denſum aërem, infernaſque nubes circumfuſas Malo ſuo ita feriat, ut veluti clauſi, vel putei, vel optici tubi orificium ex tempore

ape-

aperiat; præſertim ſi aër ſupra Malum ſit nubibus, ac vaporibus vacuus, quâ datâ viâ, occurrentium ſtellarum radii libere in oculos vectorum immittantur. Ita enim fieri non ægre poteſt, ut, quoniam iidem Navigantes immenſum ſpatium inter extrema nubium, & ſideream Cœli ſuperficiem interjectum non diſtinguunt, conſpectum lumen Malo hærere putent; veluti qui obſcuro in conclavi detinentur, ſi forte fortuna aliquod in tecto foramen pateat, lumen e ſtellifero orbe emiſſum quaſi ex ipſo foramine radiare arbitrantur.

Quæritur quale omẽ Dioſcuri præſagiant.

Sed a cauſarum inquiſitione diſcedamus; Oliva Clariſſime. Experiamur quæſo, an aliquid veri præſagiat fauſtum hoc nautis habitum judicium. Id vero nolim ſumas pro dubio, quod certum, exploratumque eſt, Phaſes videlicet iſtas futuram quandoque tranquillitatem portendere. Nam qui de viſo hoc lumine loquuntur, quique Caſtori, ac Polluci, quaſi Jovis filiis, ac ma-

ris Diis vota olim nuncuparunt (ut in poetis veteribus occurrunt plurima exempla) omnes e naufragiis feliciter evaſerunt. Atque eo quidem Græcorum animos proſperum hoc omen pervaſit, ut naves ſuas identidem Dioſcurorum tutela muniverint. Legimus propterea Divum Paulum, a tempeſtate in Melitenſem inſulam ejectum, eâ navi vela feciſſe, cui erat *inſigne Caſtorum*.

Navi Caſtori dicata vectus D. Paulus.

In Actis Apoſtol. cap ult. Verſ. 11.

Nec vero de hoc quiſquam dubitare poterit, qui animadvertat, Græcos etiam Medicos per metaphoram Parotides, quæ periculi metu liberant ægros, futuræque ſalutis ſunt indices, Dioſcuros nominaſſe. Videſis Galenum, & Caſſium Jatroſophiſtam.

Parotides Dioſcuri apud Medicos appellatæ.

Finit Med. Prob. 30.

At enimvero, cum ſæpe uſu venire ſoleat, ut, quæ apud vulgus magnâ famâ celebrantur, a veritate ſint prorſus aliena: ignaræ ſiquidem mentes ſpectris etiam minimo negotio illuduntur, ut pro veris cauſis accipiant, quæ fortuito peculiares re-

rerum eventus comitantur; hinc neceſſarium arbitror, ex perſpicuis Philoſophiæ principiis facem aliquam accendere, quâ obſcuras has tenebras diſpellamus.

Ante omnia probe perpendendum, an inter Dioſcuros nautis collucentes, & tempeſtatis exitum Phyſica aliqua cognatio intercedat. Quod ſi ita eſſe comperiretur, nullus hæſitare poſſet de certo, ſecundoque eorundem præſagio.

Cum autem non unam, ſed duas Dioſcurorum cauſas ſtatuerimus, ex varia illarum conſideratione difficultatis ſolutio repetenda eſſe videtur. Habitâ idcirco cauſarum ratione cenſemus, utroque in ſyſtemate non levem apparere conjunctionem inter Dioſcuros, & procellæ finem: ita ut ex illorum aſpectu bonus jactatis navigantibus exitus ut plurimum ſperari poſſit. Si enim ſincera in Malo lux accendatur; cum id evenire nequeat, quin particulæ ſalino-volatiles, ac ſulphureæ per

aërem diſſeminatæ jam aqueas, terreas, aliaſque adjacentes, diræ tempeſtatis cauſas diſpellere, diſcutere, ac diſſipare inceperint, indicio erunt manifeſto, procellam tenuiori reddito aëre (niſi quid a novis ventis acceſſerit, quod recens inſtaurandæ tempeſtati occaſionem ſubminiſtret) ad finem quam primum properare.

Si autem Cœleſtes radii per nubium hiatum directe ſpectentur; tunc quidem oſtendunt ſupernum Malo aërem perſpicuum, tenuem, ac ſerenum eſſe; ſecus enim Stellarum micationes interciperet, ideoque depreſſas in hoc caſu nubes ſuo pondere ſenſim demerſum iri, ipſamque tempeſtatem, incolumi ſuperſtite navi, deſituram.

Ex iis autem, quæ hactenus expoſuimus, liquido apparet, ejuſmodi ſigna non eſſe omnino certa; ſed de genere, ut ajunt, conjecturalium; cujuſmodi ſunt, quibus paſſim utimur in rebus tum medicis, tum ruſticis.

Quod

Quod vero attinet ad veritatem numeri Dioſcurorum, non admodum laboramus: quæ enim narrantur de infelici unius, deque felici duorum, infelici rurſus trium præſagio, inter fabulas rejicienda eſſe putamus. Quanquam vero, ſi huiuſmodi flamma ſtatim atque oritur, evaneſcat, bonum omen afferre non videtur; indicat enim copiam aqueo-terrearum particularum, quæ ſulphureas jam accenſas e veſtigio compeſcunt.

Sed hæc incertâ duntaxat ratione inquiſivimus, mi Oliva. Nam, ut præclare de Caſtoribus Plinius, *in naturæ majeſtate ſunt abdita*. Vale, & Illuſtriſſimum Præſulem Feronium noſtrum, bonarum diſciplinarum fautorem meis verbis ſalvere jube.

H. N. lib. 2. cap. 37. *Dictum Plinii de Caſtoribus.*

Ex Muſeolo in Quirinali XII. Kal. Decembris MDCCXIX.

V. CL.

COMITIS

CAMILLI SILVESTRII

RHODIGINI

In Anaglyphum Græcum

INTERPRETATIO POSTHUMA.

In rebus tam antiquis ſiquæ ſimilia veri ſint, pro veris accipiantur, ſatis habeam. Liv. *lib.* v. *cap.*XXI.

Digitized by Google

COMITIS
CAMILLI SILVESTRII
RHODIGINI
In Anaglyphum Græcum
INTERPRETATIO.

De ſcribendi occaſione.

IN Agro Ateſtino, cum ſuperioribus annis quorundam prædiorum limites definirentur, dum altius ſolum effoditur, mutila Deorum ſimulacra, aliaque lapidum fragmenta inventa ſunt; quæ ſub parie-

tinis

Digitized by Google

tinis inter fractas columnas jacentia veteris ſunt habita delubri argumentum, quod aut terræ motu, ſive alio caſu collapſum, aut a Chriſtianis everſum fuerit, cum poſt exterminatos tyrannos parta a ſuis principibus libertate uti cęperunt. Itaque multo cum labore egeſta terra, aucta quidem illa ex vicinorum montium labe, marmora ſunt effoſſa, tum cymbæ impoſita, & Patavium ſecundo flumine invecta ſtatuario cuidam venierunt. Erat in Urbe Carolus Torta antiquitatis ſcrutator curioſus: is, ubi rei fama increbuit, cognoſcendi impatiens accurrit ad officinam, convenit artificem, emit multa, multa enim erudita non erant, aliqua etiam artifex in alium uſum converterat. Illa vero a ſe diligenter aſſervata, antequam biennio poſt e vita abiret, mihi ſupremis tabulis legavit veterem amicitiam memorans, & ſimilium ſtudiorum conſuetudinem. Ego optimi ſodalis mnemosynon ab hærede acceptum in Patriam avexi,

ut

ut iis lapidibus meorum, quos jam tum plurimos habebam, numerum augerem. Poſtea cogitare cæpi, non alia re amico demortuo me gratiam referre poſſe, quam ſi contendiſſem, ut quantum in me eſſet, nulla oblivio, vetuſtaſue ejus benefacti memoriam deleret. Et occurrerat præcipuum Anaglyphum Græcum, quod primum illuſtrandum ſuſcepi, contentus reliqua fruſta, ubi in lucubratione uſus erit, attingere. Ut vero pauciſſimis perſtringatur, quibus Anaglyphum noſtrum appareat inſigne figuris; primum quidem Caſtorem, & Pollucem ſtantes intuemur tecto capite pileolis, de quibus apud Auctores ſermo creberrimus: tum duæ cernuntur amphoræ, ſerpenſque delibans vinum: deinde Argenidas voti reus nudo capite pateram manu geſtans: poſtea Porcus: tum cymba in Acheronte deſtituta, animæque errantes in ripa, atque animal quoddam:poſtremo tigilli certa quadam inter ſe connexi ratione

ne, unde Dioſcurorum ſacellum declaretur. Quoniam autem quęvis omnis perfecta deſcriptio exiguam admodum vim habet ad rem oculis objiciendam, ecce tibi, Lector benigne, Marmor pulcherrime delineatum, in quo & ipſam antiquitatem mireris neceſſe eſt.

CA-



Digitized by Google

CAPUT I.

Soliciti viventes, ut ſua corpora diu poſt mortem ſerventur. Ritus gentium curandi cadavera. Romanorum, & Græcorum mos comburendi corpora, vel ſepeliendi integra. Quodnam cadaver ſepultum dicatur.

EA humano animo intercedit cum corpore neceſſitudo, ut quod unum ſibi a natura miniſtrum ſociumque copulatum intelligit, illud cum mortalitatem conſecuturam provideat, ęgerrime a ſe divelli patiatur. Quoniam vero ſecretionem nulla arte impediri poſſe præſentit, at ſaltem uti interituro quam diutiſſime proſpiceret omnem ſæpe rationem excogitavit. Hinc componendorum cadaverum origo, & ab Judęis æque ac Ægyptiis aromata ad ſepulturam adhibita; hinc ex Democriti inſtituto corpora melle perunƈta, cujus natura

Plinius li.22. cap.4

tura Plinii judicio *talis eſt, ut illa putreſcere non ſinat*; aut eadem cera circumlita. Inde illud Ciceronis: *Perſæ jam cera circumlitos condunt, ut quam maxime permaneant diuturna corpora.* Diverſum paullo morem Romani obtinuerunt; hi mortuos in rogum imponebant, donec ambuſtis membris flamma conſideret, mox denudata oſſa in urna collecta ſoliti terra obtegere; quandoque etiam operoſis Sepulchris obruebant, qualia Papinius optabat patri ſuo.

Cicero Tuſc. lib.1.

Statius lib. 5. Sylv. 3.

Atque utinam fortuna dares mihi
Manibus aras
Par Templis opus, aëriamque educere molem
Cyclopum ſcopulos ultra, atque audacia ſaxa
Pyramidum, & magno tumulum prætexere luco.

Audis inſana dicta hominis magnifice ſomniantis, quamvis duodecim tabularum interpretes ſumptus a Deorum manium jure amoverent. Sed unde diſceſſit oratio rever-

Cicero de Legibus lib.2.

vertatur. Igni quidem ſuorum corpora cremaverunt Romani, attamen idem ritus penes omnes familias non vigebat. Numam Pompilium, C. Marium, alios claros viros legibus ſolutos humo conteєtos accepimus. *In Cornelia gente neminem ante Syllam Dictatorem crematum fuiſſe, veritum talionem, eruto C. Marii cadavere,* ſcripſit Plinius Tullii conjecturam ſecutus. Jam licet collapſa Republica nondum pyra, combuſtio, rogus, ſublata eſſent, tamen de Poppæa Tacitus; *Corpus non igni abolitum ut Romanus mos eſt, ſed Regum externorum conſuetudine differtum odoribus conditur, tumuloque Juliorum infertur.* Contrarium quidem Plinius prodidiſſe videtur in hiſtoria naturali, ubi de Arabia felici: *Beatam facit hominum etiam in morte luxuria, quæ Diis intellexerat genita adhibens urendis defunctis. Periti rerum aſſeverant, non ferre tantum annuo fœtu, quantum Nero Princeps noviſſimo Poppææ ſuæ die concremavit.* Sed

Tacitus lib. 16.

Lib. 12. *capit.* 18.

Sed loca ſpecie inter ſe pugnantia congruere intelliges, dum cogites, facile fieri potuiſſe, ut Nero avertendo nidori ex cadaveris tabo profluenti magnam aromatum copiam impenderit integros ſeptem dies, quibus mortuos in ipſo domus veſtibulo collocabant nobiliores, præſertim quando funera indictiva erant, niſi malis octavo demum die cum Poppęa efferretur, ſuffimentum tanto impendio factum, nec abſque aliarum gentium exemplo. Ebrei corpora ipſa terræ reddebant; tamen hujuſmodi quid quandoque factitarunt. Aſam certe *poſuerunt ſuper lectum ſuum plenum aromatibus, & unguentis meretriciis quæ erant pigmentariorum arte confecta, & combuſſerunt ſuper eum ambitione nimia.*

Paralip. capit. 16.

Græci utramque cærimoniam retinuerunt. Humationem ab ipſis Cecropis temporibus repetit Tullius. *Athenis* inquit *ille mos a Cecrope ut ajunt, permanſit, corpus terra humandi.* At nondum capta Troja Homerus

Lib. 2. de Legib.

Patro-

Patroclo pyram fabricari facit, & Hectorem cremat eadem ubique Achivorum, & Trojanorum cura, de qua planius antea diſſerverat. Ac de Trojanis obvia, quæ Virgilius noſter habet, cum Miſeni aliarumque illius gentis funera proſequitur, quem uſum a Cathaginienſibus quoque receptum fuiſſe quis ſuſpicetur, in Poëta legens Didonem de pyra ſollicitam, ſupra quam gladio incumberet, quamquam facinus clanculum, & in ſumma ædium parte deſtinaret? De Indiarum, & Æthiopiæ populis abunde Siculus Diodorus. Quo ſtudio cetera barbaries mortuos componeret nihil moror, enarrata, pluſquam neceſſe erat, majorum gentium erga ſuos pietate. Illud pro comperto haberi velim, unum ſepulturæ nomen, humationem, & combuſtionem complecti. Namque Plinius ait *ſepultum intelligi quoquomodo conditum*. Et convenienter Tranquillus in Caligula: *Cadaver ejus clam in hortos Lamianos*

Iliad. lib.23. Iliad. lib.24.

lib.6. Æneid.

Diodor. li. 11. cap. 10. lib. 3. cap. 1.

lib. 7. cap 54.

cap. 59.

aſportatum, & tumultuario rogo ſemiambuſtum levi ceſpite obrutum eſt, poſtea per ſorores ab exilio reverſas erutum, crematum, ſepultumque. Quos ego ſecutus corpus quacunque ratione compoſitum intelligi volo, quod ſepultum dicam, projectum, quod inſepultum appellabo.

CAPUT II.

Infauſta veteribus ſepulturæ privatio. Hæc inter atrociores pænas repoſita. Hinc ſtudium cadavera expoſita tumulandi. Adverſa Numina illis, qui hoc neglexiſſent.

ATque omnis iſte circuitus illò deflectit, ut Argenidæ cujuſdam mentem exponamus, qui ante interitum, ſepulturę cupidus votum Tyndaridis nuncupavit: namqne non alio illa funerum enumeratio tendebat, & hoc, quod addam, antiquos exiſtimaſſe, nil gravius accidere potuiſſe homini, cui poſt mortem ſepulchrum non obtigiſſet. Poſthumius dictator magnam ſe ſuis militibus calamitatem prædicturum putavit, cum ante pugnam contra Latinos illa apud Dionyſium minabatur, ſi victi in acie cecidiſſent: *Prętereà qui ita obierint, neque ſepulturæ, neque aliarum rerum,* Dionyſ. lib. 6.

rum, quæ ſolent tribui defunctis, participes erunt, ſed neglecti, indefleti ab alitibus, & feris laniabuntur. Quas pęnas Gracchi Africani nepotes dederunt. Hinc Valerius Maximus: *Viguit* inquit *in noſtra Civitate Tiberii, & Caii Gracchorum ſumma nobilitas, ac ſpes ampliſſima. Sed quia ſtatum Civitatis conati erant convellere, inſepulta cadavera jacuerunt, ſupremuſque humanæ conditionis honos filiis Gracchi, & Nepotibus Africani defuit.* Omnia, ſi ad vulgarem opinionem reſpicias, errorum plena, in quibus verſatus videtur Veſpaſianus, *cum pœnæ conjuratorum addendum cenſuit, ut inſepulti projicerentur.* Sane quam magnum infortunium ducebant ſupremo honore carere, tam laudibus proſequebantur eos, qui inhumato glebam aut ſaxa injicerent. Commode dixit Quintilianus, *Hinc & ille venit affectus, quod ignotis cadaveribus humum congerimus, & inſepultum quodlibet corpus nulla feſtinatio tam rapida tranſcurrit ut non quan-*

Valerius Maxim. lib. 6. cap. 3.

Svetonius in Veſpaſian. capit. 2.

Quintil. Declam. 5.

quantulocumque veneretur aggeſtu. Exempla ſi requiris, habet Halicarnaſſeus Horatiam narrans ferocis fratris manu peremptam, ne Curiatii ſponſi mortem deflere pergeret: *Sed qui prœteribant, eam jacentem in ipſo loco ubi cæſa fuerat, congeſtis lapidibus, & terra ut cadaver deſtitutum cura domeſticorum ſepelierunt.* Imo Deorum favore indigni prorſus habebantur, & nefario crimine aſperſi, qui juſta hæc ſolvere neglexiſſent. Audio enim Phebi Sacerdotem Deiphobam Trojano Æneæ ad inferos properanti moram inferre.

Dionyſ. Halicarn. lib. 3. numer. 5.

Virg. Æneid. lib. 6.

Prœterea jacet exanimum tibi
corpus amici
(Heu neſcis) totamque inceſtat
funere claſſem.
Sedibus hunc refer ante ſuis, &
conde ſepulcro.
Duc nigras pecudes: ea prima
piacula ſunto.
Sic demum lucos Stygios, regna
invia vivis
Adſpicies.

CAPUT III.

Sacrificium, & Donaria Dioſcuris ab Argenida ob ſepulturam oblata. Voti cauſſa ab eo hoc Marmor poſitum. Græcus Auctor monumenti hujus. Potuit fuiſſe & Trojanus. Religio, mores, ſermo, ſcribendique genus eadem Græcis ac Trojanis.

AT Argenidas Ariſtogenidæ filius, de quo ſermo redibit ſæpius, ut malorum ſupremum Caſtoris, & Pollucis auxilio effugeret, Deos ſibi qua ſacrificiis qua donis ſecundos reddere ſtuduit. Ac ne rerum a ſe rite ſanćteque geſtarum memoria excideret, ſeriem omnem exſculpſit in marmore Græcis litteris inſcripto, ad quod nos illuſtrandum aggredientes in tres partes ſculpturam tribuimus ipſius potiſſimum Argenidæ partitione commoti qui primum ſe Deos venerantem fingi juſ-

ſerit,

ſerit, tum cui bono eorundem opem peteret, deinde ſacrarium, in quo donum reponeretur, ediderit. Quin ipſa inſcriptio hanc diſtributionem indicat non continuata, ſed locis diſtincta, quam fruſtra, ſi ſenſum amas, ad unum redigere coneris. Habet autem ſubjectum epigramma, dummodo primi verbi litteram vetuſtate detritam ſufficias.

ΑΡΓΕΝΙΔΑΣ ΑΡΙΣΤΟΓΕΝΙΔΑ
ΔΙΟΣΚΟΡΟΙΣ

Latine vero redditur *Argenidas Ariſtogenidæ filius Caſtori, & Polluci*. Quippe quos alios ex Dioſcuris apud Græcos multis modis nominatos in iſtis agnoſcas, non perſpicio, niſi natos Jove Cretenſe Saturni filio ex Ledæ compreſſu. Conficies porro ſenſum integrum adjiciendo verbum *dicavit*, aut aliam nuncupandi formulam. Quis hic Argenidas fuerit Ariſtogenidæ filius internoſcere in tantis vetuſtatis tenebris difficillimum reor. Gente Græcum fuiſſe quis non arbitretur, lecto ipſius cum

Vide Ciceron. lib. 3. de Nat. Deor.

appoſito patris nomine Græcis utroque literis conſignato? Anne igitur ex Græcia homines in Ateſtinū agrū profecti ſedes fixerunt? Aliud forſan ex alio lapide eodem tempore cum illo quem interpretamur, effoſſo, tentandum, cui inſcriptum legimus,

ΦΙΛΙΣΤΑ
ΔΙΟΣΚΟΥΡΙΔΟΙ
ΧΡΗΣΤΗ
ΧΑΙΡΕ

Patet enim hæc monumenta eſſe nationis cujuſpiam regionem incolentis. Atque utinam plura erui contigiſſet: adjuvarent credo conjecturam exiſtimantium, his confirmari Livii, & aliorum ſcriptorum teſtimonia: Henetos videlicet, & Trojanos cum Antenore Duce in intimum Adriatici Maris ſinum delatos Euguneis pulſis proxima loca occupaſſe, ubi Patavium, Ateſte, aliaque oppida condiderunt, donec a Gallis fugati nomen Venetorum mutata leviter, uti ſolet dictione, toti

regio-

regioni reliquerunt. Heneticum hoc ergo, vel Trojanum votum cenſeo. Nec eſt cur addubitemus, num Tro- jani, & Heneti Græcorum literis, & ſermone uterentur. Tenebant enim Aſiæ minoris oram Græciæ oppoſitam, unde ſæpe ſæpius in illam ad mercatum transfretabant. Habebant Deos & mores cum Graiis communes, mirum ni etiam literas, & idioma commnicaverunt. Nolo huc Homerum inducere, qui in tota Iliade Trojanos a Græcis ex moribus, lingua patria, & Diis non diſtinguit. Poëta quiduis audere potuit, nos ad Dionyſium hiſtoricum revertamur. Hic idem Trojanos ex Græcia profectos, & illorum majores in Peloponneſo natos ſcripſit. Quamobrem hæc, ſi eſt Trojani hominis, votiva tabula poſt trium annorum millium ætatem permanſit.

Dionyſ. lib. 1. num. 6.

CA-

CAPUT IV.

De Veſtitu Argenidæ. Cur veteres ſepulturæ privationem tantum abominati. Argenidas communi cum gentibus aliis ſuperſtitioni deditus. Variæ nuncupandi vota rationes.

VIdes vero ipſum Argenidam, ut Diis ſupplicet, ut adſtet tunicatus ſub brevi pallio: toga non tegitur veſte Romanis peculiari, nec Græcorum unquam aut Trojanorum humeris injecta. Dona fert Diis e regione ſtantibus. Sacra facit, ut ſibi ſepulcrum obveniat. Nec deſiderium precantis demiror, quando ille rem inſolentem non expetit, Socios habet in petitione populos complures, ipſos etiam Judæos, & Chriſtianos. Cauſſam potius deſiderii improbo. Quoniam laude quidem dignos cenſuerunt patres noſtri, qui in ſe mortuos ſepeliendi curam ſuſceperunt, laudantur iï quoque in

Sa-

Sacris Litteris. Adde Philoſophorum acumen, qui ex hac cupidine divinitus indita animæ, immortalitatem, & ad priora corpora reverſionem elicuerunt conſentientibus Chriſtianis univerſis; at non omnium gentium generumque hominibus perſuaſum eſt, animos poſt illam e corporibus migrationem non ante Cocyti lacum tranſmittere, & in Elyſios campos pervenire, quam cadavera ſepulchro inferantur, aut certe demum, poſtquam ſe centum annos in averſa ripa ambulando delaſſaverint, illuc penetrare. Poëtarum hęc ſunt mendacia, quibus Lectores obleɫtat Virgilius. *lib.6. Æneid.*

Hinc via Tartarei quę fert Acherontis ad undas.
Turbidus hic amnis vaſtaque voragine gurges
Æſtuat, atque omnem Cocyto eructat arenam.
Portitor has horrendus aquas, & flumina ſervat

Ter-

Terribili ſquallore Charon, cui plurima mento
Canities inculta jacet, ſtant lumina flamma.
Sordidus ex humeris nodo dependet amictus:
Ipſe ratem conto ſubigit, veliſque miniſtrat.
Et ferruginea ſubvectat corpora cymba.

Animos intelligi vult Servius, quos Poëta corpora dicit. *Omne quod poteſt videri corpus dicitur, nam paullo poſt diſcretionem facit dicens.* Æneid. *li.*16. *Corpora viva nefas ſtygia vectare carina.* Ille vero deinceps.

Navita ſed triſtis nunc hos, nunc accipit illos.
Aſt alios longe ſubmotos arcet arena.

Et ex Sybilla ſciſcitanti Æneæ

Quo diſcrimine ripas
Hæ linquunt, illę remis vada livida verrunt.

Illa reſpondet.

An-

Anchiſa generate, Deum certiſſima proles,
Cocyti ſtagna alta vides, ſtygiamque paludem,
Dii, cujus jurare timent, & fallere numen,
Hæc omnis quam cernis inops, inhumata quæ turba eſt.
Portitor ille Charon, hi, quos vehit unda, ſepulti.
Nec ripas datur horrendas, nec rauca fluenta,
Tranſportare prius, quam ſedibus oſſa quierint.
Centum errant annos, volitantque hæc littora circum.
Tum demum admiſſi ſtagna exoptata reviſunt.

Quid cum Æneæ fidem implorat Palinurus?

Eripe me his invicte malis, aut tu mihi terram,
Iniice, namque potes, portuſque require Velinos.

Verum in hoc quoque Græcos atque adeo Trojanos erraſſe, dubitare

tare non ſinit illa Patrocli e terra exorientis expoſtulatio, quæ Achillem ſomno excitat.

Me terræ propera mandare, ut limina pandas,
Umbrarum, unde animæ exturbant, prohibentque ſuorum
Miſceri cœtu, ſtygiaſque innare paludes.
Per loca ſenta ſita, per & oſtia Ditis oberro.
Da dextram miſero, nec Averni limina rurſum
Tranſiliam, ut placidis ſimul ignibus oſſa quieſcant.

Provide tamen noſter, ne cuiquam mortuus ſomnum rumperet, vivens Deos ſibi ſacrificiis conciliat. Mentis indicium poſuit Charontis cymbam præter ſolitum magiſtro vacuam, quem vagantes illæ umbræ expectant, dum interea centum annos in ripa terunt. Sequitur animal bipes an quadrupes dictu difficile, ita detrita eſt figura. Unum credo ex illis apud inferos portentis, quæ Vir-

Virgilius in ſuos verſus incluſit.

Multaque præterea variarum monſtra ferarum
Centauri in foribus ſtabulant, Scyllæque biformes,
Et centum geminus Briareus, & bellua Lernæ,
Horrendum ſtridens flammiſque armata Chimæra,
Gorgones, Harpyæque, & forma tricorporis umbræ.

Sentio quidem multos de interpretatione mea repugnantes. Tu ne monſtra ad Cocyti littus nova excogites, ſatiſne multa ea non ſunt, quæ Orci veſtibulum obſident, qualia modo recitabas? Sed dicam horum pace, ſculptorem non omnino elegantiſſimum in anguſto lapide quædam locis ſuis ſeparare potuiſſe, quædam debuiſſe omittere. Animi profecto delicati nimis, & faſtidientis eſſet, omnia ſedibus ſuis diſtributa in hoc opere requirere. Tandem index effictis rebus apponitur ΕΥΧΑΝ, quod a Latinis *votum* dicitur, ver-

bum

bum alias plures ſignificationes complexum, ſiquidem, & ſponſionem continet, qua Superis fidem noſtram obligamus, ſi res ex animi ſententia acciderit, facturos nos aliquid, aut daturos. Iſta hic autem ſignificatio locum non habet, veluti in verſibus Ovidii Iſidem vocantis, ut Corinnæ in partu adſit, cum illa pollicetur.

Ovid. Am. lib. 2. & 12.

Ipſe ego thura dabo fumoſis candidus aris:
Ipſe feram ante tuos munera, vota, pedes.
Adjiciam titulum, ſervata Naſo Corinna;
Tu modo fac titulo muneribuſque locum.

Et in Poſthumii voto ejus cujus ſupra meminimus: etenim ille poſt devictos Latinos, *quum de manubiis hoſtium decimas exemiſſet, Ludos & ſacrificia Diis fecit quadraginta talentorum impendio, ædemque quam voverat, Cereri, Libero Liberæque exſtruēdam locavit. Initio enim belli laboratum*

Dionyſ. lib. 4.

tum eſt victus inopia, & magnus erat metus, ne victus penitus deficeret, tum ob terræ ſterilitatem, tum quod nulli amplius commeatus extrinſecus ad bellum afferrentur. Ob iſtum igitur timorem, cum juſſiſſet Sybillinos libros conſuli ab eorum cuſtodibus, & cognoviſſet oraculorum monitu hæc numina placanda eſſe, vovit; cum eſſet jam educturus exercitum, ſi Imperii ſui tempore felix proventus fuiſſet in Urbe, qualis antea fuerat, ſe et templa illis exſtructurum, & ſacrificia quotannis peragenda cõſtituturum. Dii vero exauditis ejus precibus effecerunt, ut non ſolum ſegetes, ſed etiam arborifera terra fruges optimas produceret, utque Urbs magis quam ante omni importatorum commeatuum genere abundaret. Quæ animadvertens Poſthumius tunc Templa ædificare cepit. Inſuper, & Marci Attilii votum de ſponſione accipiendum eſt, quum in pugna contra Samnites ſuis hoſti terga vertentibus ipſe *manus ad cælum attollens voce clara, ita ut exau-*

 dire-

Livius lib. 10. cap. 25. *diretur, Templum Jovi Statori vovit ſi conſtitiſſet a fuga Romana acies, redintegratoque prælio cecidiſſet; viciſſetque Legiones Samnitium.* Aliter autem Argenidas votum facit ſimul, & ſolvit; poſtulabat enim rem ſibi poſt obitum eventuram, hinc fidenti animo ob gratiam, quam erat a Dioſcuris impetraturus, pretium expedit. Inde conficias licet, hoc a Deciorum votis haud abſimile fuiſſe, dummodo exſolvendi tempus conſideres. Vix illi quoque ſe pro exercitus, & Reipublicæ ſalute devoverant, mox qua denſiſſima erat hoſtium acies, irruperunt, ut ſplendido leto occumberent. Rurſus de votis uno tempore nuncupatis, & expletis Plinius ad Trajanum. *Solemnia vota pro incolumitate tua, qua publica ſalus continetur, & ſuſcipimus Domine, & ſolvimus precati Deos, ut velint ea ſemper ſolui ſemperque ſignari.* Hujuſmodi fuerunt inſuper *Silicernia*, *Inferiæ*, *Cœnæ ferales*, *ludi funebres*, & *Gladiatorum*

Livius lib. 8. cap 8. & l. 10. cap. 19.

Plinius li. 10. ep. 44.

rum munera, quibus decedentibus ſuis ſive amicis, ſive conſanguineis ſuperſtites Deos Manes, & inferos placabant. Omnia non prius vota quam perfecta, uti par eſt credere, cum nullus rei concupitæ expectandus eſſet eventus. Porro tota peragendorum votorum ratio continebatur illo loquendi genere *Vota pollucere*, hoc eſt vovere, & offerre. Docuit nos hanc ſignificationem Tomaſinus præeunte, niſi fallor, Nicolao Perotto; apud quem legimus: *Pollucere dedicare eſt, quod is qui talia facit longe luceat ob lumina Sacrificiorum*. Coniũgi vides Sacrificium cum voti dedicatione.

Tomaſinus de Donariis capit 4.

CAPUT V.

Cur Argenidas effictus capite aperto contra morem ſacrificantium. De origine in ſacris velandi capitis. Unde hic mos emanavit.

SEd ad Argenidam redeamus. Ne quemquam offendat ſculptoris manus, quæ ſacra facientem aperto capite finxerit libamina aris infundere præter ceterorum morem. Romanorum enim erat in ſacrificiis caput velare. Græci antiqui, & quos ab iis diſiungere non poſſumus, Trojani alias forſan leges acceperunt. Percuſſit hac opinione animum Plutarchi, & Macrobii, & ne ad plures deſcendam, Servii auctoritas, illud Virgilii explicantis.

Probl. 10. Saturn. lib. 3. cap. 6.

Purpureo velare comas adopertus amictu: ubi altius cauſſam repetit, cur primus omnium Æneas ante ſacrificium caput obnuberet. Quod unius factum deinde in conſuetudi-

nem

nem traxerunt Albani: atque ex iſtis uſus ad Romanos permanavit. Quapropter, & Trojani qui Antenorem ſecuti Penates Deos in Italiam avexerunt, diverſos Sacrorum Ritus poſteris commendare poterant, quos ceſſaſſe crediderim, cum Romani rebus Gallorum attritis, victricia arma in tranſpadanas regiones circumtulerunt. Namque tum Henetos, & Trojanos in ſocietatem receptos traditum eſt, communicatis Civitatis juribus, & cæremoniis, quibus iſti ſuſceptis facile majorum inſtituta abrogarent.

CAPUT VI.

Caſtoris, & Pollucis hiſtoria breviter perſtricta. Navium, & Navigationis hi Dii præſides. Non ideo probatur, Votum hoc ab Argenida ſolutum naufragii evitati cauſa. Id fuſe oſtenditur.

DE Sacrificante hactenus. De Diis nunc invocatis videamus. Caſtorem, & Pollucem ex ovo excluſos Ledæ filios quis ignorat? quis illum Deorum atque hominum regem neſcit parentem fuiſſe in cygnum converſum, ut animo ſuo morem gereret? Græcum ipſum verbum *Dioſcuri* nos dubitare non ſinit eos eſſe Jovis filios. Jam ſorores Helena, & Clytemneſtra omnium Poëtarum verſibus circumſonāt. Taygetus Laconiæ mons, in quo nati. Pellene, in qua a Mercurio educati: perſpicua omnia. Celebrantur & pugnæ adverſus Athenienſes ob

ra-

raptam a Theſeo eorum ſororem, expeditio cum Argonautis, & facta egregia, propter quæ homines morte deleti inter ſydera, & cælites ſunt repoſiti. Sed ad cetera commentitia unum accedat fidem majorem habiturum. Uterque Deus ſolo Caſtoris nomine appellabatur: nam Tranquillus narrat de Cæſare. *Suetonius in Cęſare n.10.*

Venationes autem ludoſque, & cum collega, & ſeparatim edidit, quo factum eſt, ut communium quoque impenſarum ſolus gratiam caperet, nec diſſimularet collega ejus M: Bibulus eveniſſe ſibi quod Polluci. Ut enim geminis fratribus ædes in Foro conſtituta tantum Caſtoris vocaretur, ita ſuam Cæſariſque munificentiam unius Cæſaris dici. Etſi fanum illud Caſtorum *ædem* potius nominari audiverit Plinius, ex cujus libris capita duo notavimus: *Tiberio Principe ex fętu ſupra Caſtorum ædem genitus pullus.* Et rurſum: *Ex his Romuli eſt ſine tunica, ſicut eſt Camilli in roſtris, & ante ædem Caſtorum fuit Q. Martii* *Plin. lib. 10. cap. 43.* *lib. 34 cap. 6.*

Tremuli equeſtris togata. Et duravit eadem appellatio Maximinis duobus Imperatoribus ſi recte Capitolin. *num.16.* *Cum ventum eſſet in ædem Caſtorum*. Verum ſive ambo Caſtores, ſive Caſtor dicti ſunt, hoc conſpicuum redditur, ipſos cum alii Dii alias res in tutella ſua eſſe voluerint, navigationem ſibi legiſſe, cui præeſſent. Quare eleganter ille more ſuo.

Horat. Carmin. lib. 1. ode 12.

Dicam, & Alcidem puéroſque Ledæ.
Hunc equis, illum ſuperare pugnis.
Nobilem, quorum ſimul alba nautis
Stella refulſit,
Defluit ſaxis agitatus humor,
Concidunt venti, fugiuntque nubes.
Et minax (ſic Dii voluere) ponto
Unda recumbit

Extant, & Homericæ laudes hujuſmodi.

Homerus in Hymnis.

Tyn-

Tyndaridas natos magno Jove dicite Muſæ,
Pignora, quæ quondam peperit pulcherrima Leda.
Pollucem fortem, & domitorem Caſtora equorum.
Taygeti peperit Leda hos ſub vertice montis,
Ætherio coniuncta Iovi, cui ſydera parent.
Hæc peperit mi ſeros ſervantia pignora nautas
Atque rates, diræ quas invaſere procellæ
Hybernæ, at pelagi fremit implacabilis æſtus:
Tunc etenim nautæ ſumma de puppe vocarunt
Voce Iovis partus, niveorum & numina placant
Agnorum.

Quod numen in ipſis ſenſiſſe videtur Seneca, cum illa ſcripſit: *In magna tempeſtate apparent quaſi ſtellæ velo inſidentes: adiuvari ſe tunc periclitantes exiſtimant Pollucis, & Caſtoris na-* *Seneca Nat quæſ. lib. 1. cap. 1.*

numine. Nec ſecus Plinius de apparentibus facibus in navium antennis loquitur. *Geminæ autem ſalutares, & proſperi curſus prænunciæ. Et ob id Polluci, & Caſtori id numen aſſignant, atque in mari Deos invocant.*
P. 1016. num. 3. Sed etiam apud Gruterum leges inſcriptionem quandam.

CASTORI ET POLLVCI
SACRVM
OB FELICEM IN PATRIAM
REDITVM TOT SVPERATIS
NAVFRAGII PERICVLIS
.... EX VOTO CVM
SOCIIS
L. M. P.
C. VALERIVS C. F. AGELLVS

Tota hic autem ratio eorum cognoſci poteſt, qui Argenidæ tabulam in Caſtoris, & Pollucis templo conſecratam contendunt ob ſuperatam maritimam tempeſtatem, & ex naufragii periculis receptum. Iccirco volunt illa navi, quam ego Charontis cymbam dico, vectum

Ar-

Digitized by Google

Argenidam a mari veniſſe, poſtquam tot æſtus in aquis a me ſtygiis creditis pertuliſſet. Figuras in littore vagantes non mortuorum imagines, ſed naufragorum corpora accipiunt. Nĕpe antecepta cujuſdam rei informatio ita ſæpe animo adhæreſcit, ut omnem probabilitatem procul removeat, nec, quid conſtanter dicatur, exquiri ſinat. Ego Dioſcuros a navigantibus religioſe cultos fuiſſe non diſſentio, mare hoc eſſe quod in brevi marmore ripis coërcetur, etiam nego. Nullo potius tanta vaſtitas limite, nullis terminis finiri debebat. Quanto autem majorem eſſe oportebat illam navem, ut ex pelagi fluctibus emergeret? Quis in tam exili trabe freti inconſtantiæ, & ventorum flatibus vitam ſuam tuto committere auderet? Accerſamus huc Imperatoria, & Conſularia numiſmata, quando in illis navem huic ſimilem reperiſti, multas licet naumachias, multas navium ſtationes ſignatas videris, & maritima

Augu-

Auguſtorum itinera? Jam imagines illæ ſi ſunt naufragorum ſigna, cur non in littore jacent ſaltem quædam, cur omnes vultus erectos ferunt, qui terræ affixi eſſe debebant? Diſcurrere mihi quidem adhuc videntur Averni oram legentes, donec præſtitutum tempus expleverint. Sed & illud perceptu difficile eſt, quomodo integra navicula naufragium factum, non quod pateat ea in ſcopulos illiſa, non a fluctibus diſſoluta, quod fragmenta demonſtrent, qualia in noſtris quoque templis depicta naufragium indicant. Rejecimus quæ contra opinionem diu expenſam ab his præpropere dicuntur. Nunc ſententiam probabimus oſtendendo nihil illud a navigatione, & Dioſcurorum patrocinio petitum argumentum evincere, ex quo tota conjectura dependet. Coarguemus inſuper non adeo Deos præfinita poteſtate fuiſſe, ut ſi cui rei præpoſiti haberentur, in alia neceſſitate negligerentur. Itaque clarius concluſionem com-

componemus duas partes faciendo, quarum prima ſit. Antiquos eandem rem a pluribus Diis precari ſolitos. Altera, pro cujuſque erga Deum aliquem religione ſupplicatum eſſe, quãquã illi Deo peculiare aliud munus adſignaretur. Priorem partem ut confirmemus, inquiramus oportet in nomina Deorum, & vota eiſdem ſoluta. Ac nomina quidem plura uni data in variis cauſis eum precantib.conſuluiſſe demonſtrant. Juppiter paſſim audit *Optimus*, *Maximus*, *iuppiter. Salutaris*, *Omnipotens*, *Minerva Medica*, *Sapiens*, *Memor*. *Iuno Lucina*, *Regina*. Omitto ceteros. Innumerabilia vero vota a plurimis pro ſua aliorumque ſalute facta non Æſculapio tantum, ſed reliquis omnibus Diis. Gruterus profecto inſcriptiones plurimas ex illis detractas collegit, quibus præteritis ita diſſentientes urgeo. Pollux, & Caſtor navigationibus præerant:quid tum? ergo ii ſoli oram ſolventibus propitii? Ergo Dianæ nunquam vituli

Cicero de Invention. tuli a nautis immolati? At hoc affirmat Cicero. At Neptunus maris ſibi dominium vindicat, cui ſæpius, imo & Ventis immolabant pecudes. *Hygin. Fab. 277.* At Iſis *velificia primum invenit*, & ex naufragio miſeros eripuit, proinde ipſi quoque tabellæ ſuſpendebantur. Feſtive Juvenalis.

Juven. ſat. 12.

Genus ecce aliud diſcriminis audi.
Et miſerere iterum, quamquam ſint cetera ſortis
Ejuſdem, pars dira quidem, ſed cognita multis,
Et quam votiva teſtantur fana tabella
Plurima: Pictores quis neſcit ab Iſide paſci?

Denique Poëta gratum animum in Deos Catulli amici tutelares oſtenſurus poſt tempeſtatem ſuperatam, Palladi, & Junoni, poſthabitis Tyndaridis, ſacrificium pollicetur initio carminis.

Juven. ibid.

Natali Corvine die mihi dulcior hac lux,

Qua

Quæ feſtus promiſſa dies animalia ceſpes
Expectat: niveam Reginę cędimus agnam:
Par vellus dabitur pugnanti Gorgone Maura.

Quid plura? Plutonem in naufragio ſollicitatum fuiſſe loquitur inſcriptio.

PLVTONI
DEO IN LOCO
SVB TERRA COND
PERICVLO OCEANI
LIBER ARAM POSV
IT. FAB. VICELIA
NVS EX VOTO

Gruter. P. 97. num. 4.

Maneat igitur quod negari non poteſt, Deos ſingulos de quacunque ope interpellatos fuiſſe. Age nunc alteram partem, quemadmodũ multa alia ex lapidibus eliciamus. Cereris inventum eſſe fruges, omnes aſſentiuntur. Auctore ego utar Ovidio.

Pri-

Faſt. lib. 4.

Prima Ceres homine ad meliora alimenta vocato
Mutavit glandes utiliore cibo.

Et rem inſcriptione comprobabo.

Gruterus pagin. 1076. numer. 8.

CERERI
MATRI MAXIMAE
FRVGIFERAE
AVINTIVS
GEMELLVS
V. S. L. M.

Tamen ita Dea fruges curabat, ut ſtudium illud quominus Hebdomacum quendam e ſervitute liberaret, nihil obſtiterit. Vide monumentum quod domi ſervo.

CERERI AVG
HEBDOMACVS PVB
II VIR. MAG. OB HON
LIBTAT. R. ET. HERCVL
AVG

Sol

Sol itidem uti libertatis auctor non colebatur, tamen ſervus ſe illius nutu emiſſum manu teſtari voluit.

SOLI SACR.
C. DVCENIVS
C. LIB. PHOEBVS
FILIVS ZENONIS
NATVS IN SYRIA
NISIBYN LIBER
FACTVS ROMAE
EX VISV
V S L M

Grut. pag. 22. num. 5.

Mercurio ſermoni, & lucro præpoſito pro ſalute litatum fuiſſe probat Tomaſinus.

Tomaſ. de Donar. cap. 15.

MERCVRIO
L. PVBLICIVS
L. FILIVS BROCCO
PRO SALVTE
CORNELIAE MARCIANAE
VXORIS
V S

E Habes

Habes teſtimonium. Nec mirum, quoniam Mercurio non ſecus atque ceteris Diis ampliſſimam in mundum poteſtatem tribuebant. C. Silius profecto non minoris majeſtatis tanti Dei numen deputabat, quando illa in ſaxo, quod nunc in agro Brixiano jacet prope Civedatum, inſcripſit.

MERCVRIO MAXIMO
CONSERVATORI ORBIS
C. SILIVS FVNDANVS
C. FIL. QVIR. XV. VIR
SACR. FAC. STATVAM
ET ARAM. CC
V. S. L. M

Quid Herculi cum literis? at anaglyphum quoddam dedicavit

Grut. p. 1070. *num* 5.

HERCVLI MVSARVM PYTHVS

Nonne Apollo, & Minerva ſcientias adminiſtrabant? Num iccirco iſta Pythi fuit ſingularis adverſus

ſus Herculem pietas, cui Marcus Philippus eadem appellatione ædem conſtruxit, cui conſularis nummus cum eadem epigraphe eſt cuſus? Sed ad heroas noſtros propius accedamus. Regebant ipſi curſum pelagium, non igitur niſi mari iter facientium preces exaudiebant? Ergo illud male *In Serie Conſul. penes Auctorem.*

CASTORI ET POLLVCI DIIS MAGNIS
SVLPITIA Q. SVLPITII F. VOTVM
OB FILIVM SALVTI RESTITVTVM

Ergo Perſii interpretes falluntur, qui Dioſcuros Poëtam ſignificaſſe volunt, quum dixit. *Sat. 5.*

. . . . *Diis depellentibus agnum*
Percute.

Quos ex depellendis animi quoque ægritudinibus Deos *depellentes*, ſeu *Averruncos* uſurpant. Proinde nullus, arbitror, contra diſputata animum inducet. Lapidem inquies ob tranſitum ad Elyſios campos Diis ſuperis nuncupavit Argenidas, cur non potius inferis? Itane vero? Dii

Digitized by Google

inferi ſalutem vivis hominibus dare credebantur: cœlites mortuos juvare non poterant? Ad inſcriptiones recurro. Plutonem tertium ex Saturni filiis ſubterranea regna ſortitum autumabant, & *Summanum* dictum quaſi *ſummum Manium*; *Ditem* quoque, quod terrena vis omnis ac natura ipſi ſubeſſet, cui Proſerpina nupta erat. Num propterea utrique coniugi nunquam pro valetudine res divina facta? Imo ambobus ſimul totius Populi Romani ſalus commendabatur. Recita ſcripturæ indicium.

Cic. lib. 2. Nat. Deor.

P. VA-

P. VALERIVS
VOLVSI F
POPLICOLA
IGNIFERVM CAMPVM
DITI PATRI AETERNAEQ
PROSERPINÆ CONSECRAVEI
LVDOSQVE EISDEM DIEIS
POPVLI ROMANI SALVTIS
ERGO FECI

Grut. pag. 97. num. 2.

Plutoni ſoli ab iis, qui ex naufragio evaſerant, ſolutum votum antea comperimus, Tyndaridis de turbata poſſeſſione non conqueſtis; nec Summanus igitur ipſos de re emortuali invocari ægre ferat. Ad Proſerpinam quod attinet; & ipſi pro recepta uxore gratiæ ſunt actæ iſta beneficii commemoratione.

Grut. pag. 97. un. 6.

PROSERPINAE
SERVATRICI
C. VETTIVS SIL
VINVS PRO EV
NOIDE PLAVTIL
LA CONIVGE SIBI
RESTITVTA
V. S. A. L. P

Summa eſt, Deos ſine diſcrimine pro vivis inferos, ſuperos pro mortuis exoratos: & certa munera adeptos auxilii cujuſcumque indigentibus conſuluiſſe. Etſi vero concedamus Pollucem cum fratre dirigendas unice naves curaſſe, quis adeo monſtrum judicabit, quod Argenidas ipſos obſecrare ſuſtinuerit, ut tranſmiſſuro ſibi Cocyti vada propitium Charontem redderent, cymbamque gubernarent, donec ſe in ulteriori ripa expoſuiſſet? Non placet explicatio? alia ratione tentemus hominis conſilium expiſcari. In fabulis eſt, Pollucem occiſo Caſtori ſuperſtitem ab

ab Jove optionem cepiſſe, ut aut ſolus immortalitatem indipiſceretur, aut eam ita cum fratre communicaret, ut certis intervallis alter oriretur, dum alter occideret, quod poſterius fratris caritate Pollux elegit. Quapropter

Si fratrem Pollux alterna morte redemit

Itque reditque viam toties.

Virg. lib. 6. Æneid.

Forſan Argenidas fabula ductus, ne aliquando ſibi infauſtum illud accidere paterentur, Deos rogavit, quos toties viam ſub terram relegere credebat. Verum ſit hoc ob naufragium votum, tamen aſſerere non dubitabo, inſepultorum pœnam, potiſſimum naufragorum, in tabula nobis tamquam malum morte pejus ob oculos poni.

CAPUT VII.

De Pileolo in capite Dioſcurorum. Ad id nummi producti. De eorum veſtitu. Hinc ratio ducta Argenidam Trojanum credendi. Prolati in medium Nummi, & Anaglyphum, unde varia veſtium ratio Dioſcurorum demonſtretur.

AD Deos rurſus veſtis genus nos provocat, primoque pilei, quibus capita obteguntur, geſtamen ipſis conſuetum, quod Cordiæ, & Sulpitiæ gentis nummi probant a Fulvio Urſino in ſuum de Romanis familiis librum, a me poſtea ex archetypis in conſularium nummorum ſeriem relati. Pileorum apici ſtellæ inſiſtentes geminæ flammæ memoriam refricant, quæ, dum hi fratres una cum Argonautis navi veherentur, ſupra caput conſidens horribili tempeſtate jactatis ſerenitatem attulit. Quod factum Poëtis fabulam

lam ſuppeditavit, cultorum mentem ſuperſtitione invaſit, ut putarent gemellos hoſce nautis opitulari. Crevit ſubinde mentiendi licentia, poſtquam eos in cœlum fama ſuſtulit. Sed & pileatos eos finxerunt ſexdecim familiæ, in quarum, præcipue Antiſtiæ, & Æliæ numiſmatis procurrentibus ſimiles conſpiciuntur, haſtis in hoſtem directis. Ceterum corpus artifex veſtitu patrio obtexit, non ſecus ac hodie Sinenſes Deos amictu laxo Regum ſuorum veſtibus per quam ſimillimo indutos colunt. Eſt & mihi marmorea tabula, in qua Paris tunicatus pallio involvitur, at tres notæ Deæ veſte ad talos uſque demiſſa amiciuntur, quali ſculptor maxime gaudere viderat ſuæ regionis feminas. Hinc & Argenidæ, & Dioſcuris unum veſtis genus hac tantum ratione diſcrepans, quod Deorum lacertos promiſſior manica obducat, manu ſub pallio abſcondita. Argenidæ autem tunica ſit colobio ſimilis, aut ipſum colobium,

Kircher. in Chin. illuſt. par. 3. cap. 9.

ex

ex quo manum cum patera, imo brachium integrum protendit. Quare ſi Paris Trojæ natus eſt, cur non Argenidas ſit Trojanus, quem eadem veſtis delectat? At de iſta re ante opinionem noſtram expoſuimus. Nunc Dioſcurorum veſtibus inſiſtamus. Dionyſius eos poſt pugnam ad Regillum lacum inter Romanos, & Latinos apparuiſſe in foro Romano, ſcribit bellicis lænis amictos, equos regentes manibus ad frena motis. Maxentius ipſos eodem habitu procudit, nec diſſimili prorſus artifex Patiniani marmoris, cui locum dedimus in quadam Juvenalis ſatyra etruſce jam per nos loquentis. Memmia gens nudum utrunque effinxit. Pergerem plura in medium afferre, niſi ſatis ea omnibus cognita exiſtimarem.

lib. 6.

Sat. 14. n. 260.

CA-

CAPUT VIII.

Amphoræ Dioſcuris oblatæ. Ex vino plenæ, vel tantum ut Templo ornando inſervirent. Vaſa quacunque materia ac forma confecta dicata Numinibus. Duplex vini uſus.

QUapropter ad ingentes amphoras venio, quas vel optimo vino repletas ad ſacrificiorum uſum, & Sacerdotum delicium, vel templum artificii ornaturas venuſtate offert Argenidas, aliorum munificientiam imitatus, quorum vaſa templis donata ab Hiſtoricis celebrantur. Herodotus unus plura exempla commemorat. De Gyge, qui Candaule occiſo potitus eſt Lydorum regno, tuliſſe eum Delphico Apollini magni pretii dona, inter quæ *pateras argenteas numero ſex pondo triginta talentorum*. Aliatem eidem Deo conſecraſſe *grandem ex argento pateram, itemque alteram ex* *lib.* 1.

ferro

ferro compactilem parvulam ſpectatu dignam inter omnia, quæ ſunt Delphis donaria. Crœſum item Delphos miſiſſe *duas grandi forma pateras auream argenteamque, quarum aurea intrantibus templum ad dextram poſita erat, argentea ad ſiniſtram*. Huc quoque Dionyſium adducam, qui declarato Æneæ ad Dodonæum Oraculum adventu, *Et poſtquam* ait *de Colonia deducenda reſponſum, Deo dona Trojana dicarant cum alia, tum etiam crateres æneos, quorum nonnulli adhuc ſuperſunt literis antiquiſſimis inſcripti, quæ donorum auctores teſtantur*. Rurſus poſt ejuſdem in Italiam appulſum. *Et his quoque locis ſui adventus veſtigia reliquerunt, cum alia tum etiam phialam æneam in templo Junonis literis antiquis Æneæ nomen, qui ipſam Deæ donarat, declarantes*. Subiiciam & Joſephi auctoritatem: *Rex miſit victimas tauros auratis cornibus, & pocula tam aurea quam ar-*

Antiqu. Iud. lib.13.cap.16.

argentea. Et Juvenalis locum. Satyr. 13.

Confer & has veteris qui tollunt
grandia templi.
Pocula adorandæ rubiginis, &
populorum
Dona.

Nec deſunt teſtimonia alia, ex quibus tria ſelegi.

Digitized by Google

Apud Gruter. pag.16.nu.12.

EX IVSSV I O M D
L TETTIVS HERMES
CVM CONIVGE SVA ET FILIIS
ET OMNIBVS SVIS
CANTHARVM CVM
VASE SVA POSVERVNT

ſic

Pag.5.num.6.

IOVI IVNONI. MINER
ANTONIA M. L
APHRODISIA SCYPHOS II
VENEREVM SPECVLVM
DONVM DEDIT

Apud Boiſ. Antiqu. Tomo 4.

IVNONI PLACIDAE
CONSERVATRICI AVGVSTAE
CLAVDIA SABBATIS
BVLLAM D D
ADDIDIT ET SCYPHVM ET
TRIPODEM FORTVNÆ AVG.

lib.2.Reg.c.8. 22.lib.3. C. 7. lib.1. Eſdr. cap.1.8.

Quibus omnibus adiungerem Salomonis dona, & vaſa permiſſu Cyri ab Hebreis poſtliminio reverſis in templum relata, atque illa a Ptolemęo Philadelpho ad Eleazarum

rum Pontificem miſſa;niſi me indigne facturum ſubvererer ſacri Templi ornamenta impiatis donariis apponendo. Quod autem Sacerdotum gulæ, & avaritiæ, non Diis ſolum, munera dedicarentur (uti de vino Argenidæ factum coniectamus) ſatis conſtare volumus hoc argumento. *Ioſeph. Antiq. Iudaic. lib. 12. cap. 2.*

I. O. M
OB PVLSOS A Q. SERTORIO METELLVM
ADQ. POMP
IVNIA DONACE
CORONAM ET SCEPTRVM EX ARG MVNVS
ADTVLIT
FLAMINICAE PHIALAM CAELATAM
HIERODVLIS COENAM DEDIT

Grut. pa. 16. num. 1.

Nonne iſta Danace Hierodulis, id eſt, Æditui cœnam, phialam Flaminiæ dedit, quorum ad Jovem precibus Sertorium adiutum contra Metellum bene pugnaſſe exiſtimabat? Illud non miror Flaminicam feminam ſacerdotio fungi, cum Smyrnenſes, & Magneſios eleganti lapi-

lapide *Ulpiæ Marcellinæ Ulpiæ filiæ Sacerdoti Maximæ Veneris Uraniæ* monumentum poſuiſſe noverim. Si vero amphoras cum vino ad ſacrificia donatas fingemus, ſcire juvabit, vini uſum invaluiſſe tum quando ſine victima litabant, tum quando pecudes ad aras cædebant. De primo ritu Perſius

Vide noſtr. Iuvenal. ſat. 6. num. 328.

Funde merum Genio.

Perſius ſat. 2. Cenſor in. Dionyſ. lib. 7.

Cui ſacra facientes manum a cæde & ſanguine abſtinebant. De ſecundo Halicarnaſſeus notat. *Hi vero eas*, ſcilicet primitias ex extis membriſque victimæ recitas, *aris impoſitas ſuccendebant, & in eas, dum ſancte & rite cremarentur, vinum infundebant*. Hinc Virgilius

Æneid. 6.

Quatuor hic primum nigrantes terga juvencos
Conſtituit, frontique invergit vina Sacerdos.

Aſſentiente Ovidio.

Lib. 7. Metamor.

dum vota Sacerdos
Concipit, & fundit parvum inter cornua vinum.

Quod

Quod quidem familiare adeo fuit, ut ſi qua eſſent ſacrificia, in quibus vinum fundi vetaretur, *Nephalia* illa nominarentur.

Digitized by Google

CAPUT IX.

Anguis Argenidæ Genium ſignificat. Viventium tantum proprius eſt Genius. Serpentes vino delectantur.

ANguis figura Argenidæ Genium indicari ſuſpicor, quod frequens ea penes antiquos vigeret ſignificatio. Virgilius, cujus ſæpe verſibus abutimur, cum ſolus nobis hoc marmor explicatum dare potuiſſet, de ſerpente ex Anchiſis tumulo in aras perreptante dixit

Æneid. lib. 4.

lubricus anguis ab imis
Septem ingens gyros ſeptena volumina traxit
Amplexus placide tumulum, lapſuſque per aras,
Cęruleæ cui terga notę, maculoſus & auro
Squamam incendebat fulgor, ceu nubibus arcus
Mille trahit varios adverſo ſole colores.

Obſtu-

Obſtupuit viſu Æneas: ille agmine longo
Tandem inter pateras, & lævia pocula ſerpens
Libavitque dapes (veluti noſter vinum)
rurſuſque innoxius imo
Succeſſit tumulo, & depaſta altaria liquit.
Hoc magis inceptos genitori inſtaurat honores,
Incertus genium ne loci famulumne Parentis
Eſſe putet.

Pro Genio loci anguem poëta accepit, quoniam de Anchiſe poſt mortem obitam loquebatur; at cum hic de Argenida inter vivos degente verba faciamus, pro Genio ejuſdem commodius nos accipiemus figuram, a Plinio edocti, Genium unicuique viro ſuum, dum vita manet, Junonem feminis ſuam invigilare. Licet Anchiſæ etiam vita defuncti Genium Ovidius appellare non dubitaverit. *Lib. 2 cap. 7.* *Faſt. 2.*

Hunc morem Æneas pietatis idoneus auctor.
Attulit in terras, juſte Latine, tuas.
Ille Patris Genio ſolemnia dona ferebat,
Hinc populi ritus edidicere novos.

Vinum Sacerdotum ex amphoris delibat anguis, ſive quod dicere magis placet, Argenidæ Genius, more hominum, qui vinum compotoribus propinatum deguſtabant, antequam in manus poculum darent. Cave autem putes, ſerpentem in marmore temetum prægustantem fingere, idem eſſe ac

Vide notas meas in Iuven. Sat. 5. n. 127.

Delphinum Sylvis appingere, fluctibus aprum.

Convenit enim ſerpentis naturæ vinum appetere, cum occaſio eſt. Verba clariſſimorum virorum de hac gula teſtificantium jam recito. Ariſtotelis ſunt ejuſmodi pauca dicta: *ſerpentes vini avidi ſunt*. Plinii quoque celebris eſt hac ſuper re ſenten-

lib. 8. Hiſtor. Anim. cap. 4. Lib. 10. ca. 21.

tia

tia. *Serpentes cum occaſio eſt, vinum præcipue appetunt.*

Quibus teſtimoniis innixus pariter fui, cum in ſatyra ſexta carmina Juvenalis illuſtranda ſuſcepi, ubi Poëta mulierum bibacitatem acriter perſtringens, hanc adhibuit ſimilitudinem: *V.* 430.

nam ſi tamquam alta in dolia longus
Deciderit ſerpens, bibit, & vomit.

CAPUT X.

Sus Dioſcuris ab Argenida oblatus. Varia genera victimarum iiſdem Numinibus dicata. De albis & nigris victimis. Sues in ſacris frequentiſſimi.

DEinceps ad ſacrificium ara parata conſpicitur, & mactanda victima. Utraque appoſite, cum votorum diligentiam ſacrum commiſſum perficeret. Valerius Maximus hujus religionis jura expedit iis verbis: *Priſco instituto rebus divinis opera datur, cum aliquid expoſcendum voto.* Neque vero quod ſus ad aras Dioſcurorum ſiſtatur, aut me, aut Homerum, qui ipſos *niveorum munere placari agnorum* dixerat, erroris arguas velim, quaſi ſola ea victima Dii delectarentur, expiandaque eſſet aliter ſuſcepta procuratio. Non enim unius ſolum ac peculiaris hoſtiæ ſanguine ſinguli placabantur, ſed diver-

Lib. 1. cap. 1.

ver-

verſum pleriſque genus placuit. Jovi quis neſcit bove majore fuiſſe ſacrificatum, Junoni vacca vel agna, Soli, & Marti equo, Veneri columba, Dianæ cerva, Silvano porco? Tamen adeo ſibi iſta ratio non conſtitit, ut mutatam ſæpiſſime pro opportunitate fuiſſe Lilius Gyraldus cognoverit. Verum illud de nihilo non eſt, quod lectorem monitum diſcupio, Homerum tum demum Dioſcuris agnos cædi voluiſſe, cum quis ob lætum optatę rei exitum eis ſacrificio gratias ageret, cujuſmodi lętitiæ argumentum eſſe conſtat, quando *Gyraldus Syntagm 17.*

gaudent vertice raſo
Garrula ſecuri narrare pericula nautæ. *Iuven. Sat. 12.*

Secus in re præſenti, ubi de inferis adeundis, de corporibus vita caſſis agitur, ubi nigræ potius victimæ admoventur. Unde in Inferos deſcenſurus Æneas

Quatuor hic primum nigrantes terga juvencos
Conſtituit. *Æneid. lib. 6.*

Deinde

ipſe atri velleris agnam
Æneas matri Eumenidum, magnæque ſorori
Enſe ferit.

Æneid. lib. 4. Et ad patris tumulum

cædit quinas de more bidentes,
Totque ſues, totidemque nigrantes terga juvencos.
Vinaque fundebat, pateris,

hem rurſus vinum in ſacrificiis

animamque vocabat
Anchiſæ magni, maneſque Acheronte remiſſos.

Animadvertis igitur, quam apte ſuem ſiſtat Argenidas, quamque hujus victimæ oblatio coſiſtere non poſſit cum ſententia exiſtimantium, naufragium ſuperatum hac ſculptura ſignificari, quo in ſacro candidi agni ſanguine litabatur. Utcunque autem ſe veritas habuerit, ſcire juvabit, in porcis nullum ad ſacrificia delectum adhibitum, cum modo mares, modo feminæ abſque diſcrimine ſume-

merentur. Martialis depulſa febri lætus ita Ægeriam Nympham alloquitur Lib.5.Epigr. 47.

Exolvit votis hac ſe tibi Virgine
Porca
Marcus,furtivam quod bibit æger
aquam.

Horatius contra de ſacroTelluri peracto refert. Lib.2.epiſt.1.

Agricolæ priſci fortes, parvoque
beati
Condita poſt frumenta levantes
tempore feſto
Corpus, & ipſum animum ſpe finis dura ferentem
Cum ſociis operum, & pueris, &
coniuge ſola
Tellurem porco, Silvanum lacte
piabant.

At Virgilius Æneid. lib. 8.

Candida per ſylvam cum fœtu con
color albo
Procubuit, viridique in littore
conſpicitur ſus,
Quam pius Æneas tibi enim, tibi maxima Juno

Ma-

Mactat ſacra ferens, & cum grege ſiſtit ad aram.

Juvenalis

Sat.2. *Bonam teneræ placant abdomine porcæ*

Quid Hiſtoricus?

Dionyſ. lib.1. *Æneas ſuis fętum una cum matre Diis Penatibus immolavit eo ipſo loco, in quo nunc eſt quoddam ſacellum, quod Livinatæ ſacrum putant.* lib.1.Divin. Et Tullius:*cum terræ motus factus eſſet ac ſue plena procuratio fieret, vocem illā ajunt ab æde Iunonis ſumma ex arce auditam; ideo Monetam Iunonem appellatam fuiſſe a monendo.* In alio anaglypho cum ceteris effoſſo ſuem a Popa ad vicinam aram pertractam Iuppiter in ſella ſedens reſpicit. Gruterus pagin.121.n.1. Arvales fratres *ſuovetaurilibus porca, & agna* Deæ Diæ ſacra feciſſe, ex tabula ipſorum intelligimus: in altera paullopoſt ſcriptum invenimus. *Iovi Verbec II.* id eſt vervecibus duobus, *ſive Deo, ſive Deæ Verb. II. Laribus Verb. II. Summano Patri Verb. Atris Divis xx.* nempe Diis Ruſticis, quales Occator, Sterquilinius, & reli-

reliqui a Fabio Pictore apudServium enumerati *Verb. xx*. Philippus item a Turre incredibili Præſul probitate,non ſolum ſapientia fragmenta collegit, quibus iſta continentur *adGeorg.Virgil. lib. 1.* *Monum. Veteris Antii pagin. 386.*

QVOD ARBOR A VETVSTATE DECIDIT EXPIANDVM PORCAM ET AGNAM OPIMAM

OB FERRVM INLATVM IN AEDEM SCR ſic PTVR CAVSSA PORCAM ET AGNAM OPIMAM

OB FERRVM DE AEDE ELATVM PORCAM ET AGNAM OPIMAM

Nec Silvani tabulam ſilebo, in qua porcus ad aram ducitur immolandus, addita epigraphe. *Tomaſiu. de Donariis capit. 27.*

SACRVM SANCTO SILVANO
AVG VOTO SVSC. EX VIS

Sed porci etiam ad inferias adhibebantur, ſi recte colligere licet ex Feſti verbis *Denicales feriæ colebantur*, *lib. 4.*

cum

cum hominis mortui cauſſa familia purgabatur, *Græci enim* νεχρὸν *mortuum dicunt*. Imo verveces antiquæ leges præſcribebant ad hunc ſacrorum ritum. Quare Cicero *Neque* ait *neceſſe eſt ediſſeri a nobis, qui finis funeſtæ familiæ, quod genus ſacrificii Lari vervecibus fiat, quemadmodum os retectum terra obtegatur, quæque in porca contracta jura ſint*. Virgilius autem poſt enarrata Trojanorum funera, qui in acie contra Latinos pugnantes ceciderant, ſubdit:

Lib. 2. de Legib.

Lib. 11.

Multa boum circa mactantur corpora morti,
Setigeroſque ſues, raptaſque ex omnibus agris
In flammam jugulant pecudes.

Quorum auctoritate ducti apprime dicimus congruere cum Argenidæ lugubri ſacro ſuillam victimam. Nullus enim amplius dubitandi locus relinquitur, num Dioſcuris porcum immolari liceret, cum inter Deos nullus illud animal reſpueret. Porphyrius ſaltem diſcrimen non agno-

vit,

vit quando dixit *ſuem non alia de cauſſa conceſſit Deus hominibus, quam ad ſacrificium*. Neque Varro diſtinxit, ætatem tantum deſignans in libris de Re Ruſtica. *Porci a partu decimo die habentur puri, & ab eo appellantur ab antiquis ſacres, quod tum ad ſacrificia idonei primum dicuntur*. At cauſſam frequentis in ſacrificiis uſus ita ediſſerit. *A ſuillo enim pecore & genere immolandi initium primum ſumptum videtur*. In quam ſententiam ivit Ovidius illa canens

prima putatur
Hoſtia ſus meruiſſe mori.

Pergit autem Varro aſſertionem ſuam confirmare. *Cujus veſtigia, quod initiis Cereri porci immolabantur, & quod initiis pacis fœdus cum feritur, Porcus occiditur, & quod nuptiarum initio antiqui reges ac ſublimes viri in Etruria in coniunctione nuptiali nova nupta, & novus maritus primum porcum immolant. Priſci quoque Latini etiam Græci in Italia idem factitaſſe videntur*. Similiter agri Romani luſtra-

Porph. lib. 3. De Abſtin.

l. 2. cap. 30.

Lib. 15. Metam.

ſtrationem *Ambarvalia* dictam, cui Arvales Fratres præerant Suovetaurilibus celebratam, iiſdemque ſacris Patres familias privata prædia luſtraviſſe ex eodem Feſto, & Catone diſcimus: illo inſuper docente *Præcidaneam Porcam dictam fuiſſe, quam immolare erant ſoliti, antequam novam frugem inciderent*.

Feſtus Lib. 1.
Cato de Re Ruſt. cap. 141.
Feſtus lib. 14.

Itaque cum ex dictis hactenus percipiamus, ſuem Diis manibus, Ægeriæ, Telluri, Bonæ Deæ, Penatibus, Junoni Monetæ, Jovi, Deæ Diæ, Summano, Diis Ruſticis, & Cereri ad ſacrificia veniſſe, paſſimque mactatum, cur non fateamur, eum & ad Ledæ filiorum aras pertractum, quod tabula deſignat?

CA-

CAPUT XI.

Ubi Anaglyphum noſtrum repertum, ibi ſacellum Dioſcuris ſacrum. Id ex voce ΑΝΑΚΕΙΟΝ *deductum. Dioſcuri Anaches, aut Anaces appellati. In Marmore Dioſcurorum ſacellum indicatum. Opus clauditur.*

RESTAT nunc de loco dicamus, ubi marmor hoc votivum ab Argenida collocatum eſt ad rei memoriam poſteris tranſmittendam. Qui ut clarius pateſiat, repetere lubet conjecturam in principio operis notatam, videlicet effoſſa illa fragmenta vetuſti alicujus templi fuiſſe rudera, in quo plura ſimulacra ſuas cellas obtinerent. Etenim in quodam fruſto deprehendimus Palladis pedem cum noctuæ unguibus, in alio ſedentem Jovem, eique ſimilem, quem in Domitiani, M. Aurelii Commodique nummis intuemur, ante Deum vero paratum ſacrificium

ad-

admoto a Popa ad aram porcello, rurſus in alio fiſtulam, & oviculam conſpicamur cum nudis pedibus Apollinis, niſi fallor, quem Admeti gregem paviſſe ſub Paſtoris habitu commenti ſunt Poëtæ. Hinc & Argenidæ votum in quodam ex illis ſacello repoſitum fuiſſe opinamur, quod Dioſcuris eſſet ſacrum. Confirmavit hanc opinionem ANAKEION Græcum verbum in ſuperiori parte inſcriptum, latine Sacellum Dioſcurorum, ſive templum ſignificans, cujus etymon ab ipſo Deorum nomine *Anaces*, aliis *Anaches*, proficiſcitur, quomodo ex Iſide Iſeum factum, ex Serapide Serapeum, ex Arſinoë Arſineum. Anaches quidem Caſtorem, & Pollucem dici Plutarchus putat Atticorum lingua, talem in Theſeo rationem reddens. *Aphidnis captis, metu correptis civibus Meneſtheus ſuaſit, ut in Urbem reciperent Tyndaridas, ac amice tractarent, quippe cum hi ſolum Theſeum laceſſiti iniuria bello petiiſſent, reliquos homi-*

nes

nes beneficiis atque ſalute impertirent. Id ejus conſilium facta Tyndaridarum comprobaverunt. Neque enim cum omnium potiti eſſent quidquam poſtulavere quam ut ſacris initiarentur. Nihilo minus ad Urbem quam Hercules pertinentes conſecuti ſunt hoc, adoptante eos Aphidno, ſicut olim Pylius Herculem: divinique ipſis honores, & ut Anaces nominarentur, tributi ſunt. Id nominis an propter inducias quas Anachas Græca lingua affert, an quia curam operamque dederant, ne quis maleficium acciperet, cum tantus eſſet in Urbe exercitus. Anachas enim habere dicuntur, qui quamcunque rem tutantur, cuſtodiuntque; unde fortaſſis Græcis Reges Anactes nuncupati ſunt. Neque deſunt qui propterea quod eorum ſydera apparent, ita appellatos exiſtiment. Ajunt enim quod ſignificat ſupra, Atticorum Lingua Anecas pronunciari, & Anechatem eſſe iiſdem idem quod aliis Græcis Anochen, Latinis eſt deſuper. Itaque ANAKEION titulus

eſt Sacelli Dioſcurorum . Sacelli ambitum, & altare videre nemo cupiat. Namque ſatis artifici fuit ipſorum Deorum imaginem, & concordiam duobus trabibus tranſverſis, aliis duobus compactis ob oculos ponere. Quorum ſignificationem ex Plutarchi libello de Fraterno amore deſumpſimus. Ubi: *vetuſta Caſtorum ſimulacra Spartani Dokana, quaſi trabalia appellant. Sunt autem duo ligna æqualiter invicem diſtantia, duobus aliis tranſverſis coniuncta, ac videtur communitas individua ejus tigilli admodum convenire fraterno Deorum inter ſe amori.* Quid amplius ambigi poteſt de Sacrario, cum Deos in eo conſpiciamus, antiqua arte effictos, ſive illi ex Græcis, ſive ex Trojanis, quod de Argenida quoque ſuſpicabamur: originem traxerunt? Hoc eſt de antiquiſſimo Anaglypho judicium meum, cui ſi tu Lector quoque calculum adiicies, laboris mei pretium me tuliſſe exiſtimabo; ſin tibi non probabitur,

bitur, conſcientiam tenuitatis meæ ſolabor Liviano dicto: nimirum *in rebus tam antiquis, ſi quæ ſimilia veri ſint, pro veris accipiantur, ſatis habeam.*

Digitized by Google

Digitized by Google

ABB. BLASII CARYOPHILI

NEAPOLITANI

DISSERTATIO EPISTOLARIS

AD

Clariſs., & Doctiſs. Virum

PIUM NICOLAUM CARELIUM

Archiatrum

CAROLI VI.

IMPERATORIS SEMPER AUG.

Digitized by Google

PIO NICOLAO CARELIO

Archiatrorum Comiti
Ampliſſimo

BLASIUS CARYOPHILUS
S. D.

CUM ſuperioribus diebus Tuſculum me contuliſſem, ut valetudini, quæ nimis valde afflicta eſt, & ſolicita, ſedulo conſulerem, aërique tenuitate, & locorum amœnitate animum meum ſublevarem a curis, laboribuſque, quos in hoc vitæ curriculo patimur magna

Digitized by Google

cum moleſtia, & angore: a Clariſſimo Viro Joanne Oliva rerum antiquarum peritiſſimo, cujus conſuetudine jucundiſſima fruor, literas accepi plenas benevolentiæ, & humanitatis, quibus efflagitabat, ut ſententiam meam de quodam antiquiſſimo Anaglypho Græco, quod ad me miſit, candide dicerem. Pariterque ad me deferendam curavit diſſertationem eruditiſſimi Comitis Camilli Silveſtrii Rhodigini *τοῦ μακαρίτου*, cujus diuturna familiaritate, dum vitam ageret, uſus, nunc memoriam ſancte colendam putat, famam ejus ac eruditionem ſingularem magis ampliando, inque hominum vulgus celebrando. Quamobrem, ut obtemperarem dictis amici mei, quo mihi nemo Romæ eſt jucundior, nec charior, aliqua ex adverſariis, quæ mecum erant, collegi, illique remiſi, miratus hominis ingenuitatem maximam, animique candorem, qui mihi libenter voluit provinciam hanc tradere, quam meher-
cule

cule ſuſcipere melius ille potuiſſet. Verum cum Romam deinde reverſo mihi ſignificaret ſibi in animo eſſe diſſertationem Comitis Silveſtrii, ac obſervationes meas typis committere ære, & ſumptibus ornatiſſimi Præſulis Joſephi Mariæ Feronii erga literatos Viros munificentiſſimi; non ingratum fore cogitavi, quæ tumultuario ſtylo, & præpoſtere exaravi, ad meliorem formam redigere, uberiuſque explicare, Tibique, Careli amicorum Doctiſſime mittere, ut meliora impertiri, ac mecum communicare velis, quæ Tu de marmore Græco vere ſentis. Perſpecta enim omnibus eſt ingenii tui vis, qua polles, eruditioque, qua refertus cum in Græcis, tum in Romanis antiquitatibus. Quibus adjungis, quod paucis, vel nulli datum, plurimarum rerum ſcientiam, eloquentiamque graviſſimam. Neque vereor Te ab hoc negotio abhorrere, ubi in marmore perſpicies votum Argenidæ Caſtori, & Polluci ſolutum,

quos,

quos, ut ſcis, Deos Magnos, & ſalutares Antiquitas denominabat. Tu etiam homines a mortis limine revocas, morboſque depellis, qui perniciem, exitiumque humano generi minitantur, ipſumque, tanquam immanes furiæ, agitant, perterrentque: quibus artibus Æſculapius ab antiquis Ethnicis pro Deo habitus, & Hippocrates θεῖος appellatus.

Verum quamvis Clariſſimus Comes Silveſtrius ſententiam ſuam de Marmore Græco ſubtiliter, atque ingenioſe dixerit, multaque etiam protulerit, quæ non vulgarem eruditionem redolent, & quæ Marmor alioquin obſcuriſſimum illuſtrant: non tamen illa nobis impedimento ſunt, vel certe nos tardare poſſunt, quin, quæ conjectura aſſequimur, libere dicamus; nihil tanti Viri dignitati detrahentes, cujus famam, doctrinamque magnopere colimus, ſi aliter ac ille exiſtimat, ſentiamus, aliam viam perſecuti, quæ ad Marmo-

moris explicationem adducit. Etenim omnis conjectura, quę fit de rebus ad Antiquitatem pertinentibus, hominum ingenia ſemper in contrarias partes rapit, & ut ſæpiſſime evenit, pluribus itineribus pro virili contendimus ad veritatem comparandam, quæ una eſt; quamque in monumentis antiquis interpretandis tanquam in profundo demerſam penitus aſſequi deſperamus. Ergo non ſine certa ratione ducimus in Marmore Græco denotari tantummodo ſacrum Caſtori, & Polluci factum ab Argenida, quod in portum ex longa navigatione venerit, inque patriam ipſorum numine incolumis redierit, tempeſtatibus, aliiſque ærumnis liberatus, quæ in navigationibus evenire ſolent. Quod illi, ut opinor, oſtendere placuit navi ſalva, naufragioque non afflicta, quam Marmori inſculpſit, ac ſociis, quos reduces, litori expoſitos, ſaxisque reclinatos, utpote fluctibus feſſos, corporiſque laboribus defatigatos in la-

lapide videmus. Nec ea ſolum ratione hæc in marmore ponenda curavit, verum etiam, ut ſignificaret ſe vocaſſe ſocios ad φειδίτια, vel φιλίτια convivium nempe, quod Lacedæmoniis in more erat poſt ſacra Diis peracta celebrare. Re ita ſimpliciter collocata, rationes in medium adducere aggrediemur, ut θέσιν noſtram perſpicue demonſtremus. Caſtor, & Pollux ab Ethnicis pro Diis navigationi ſalutaribus habiti, quos
in Idil. Theocritus ἀνθρώπων σωτῆρας *hominum*
Διόσκουροι *ſervatores* appellat: clarius vero Arrianus in Epictetum ἐκεῖνον ἐπικαλοῦ βοηθὸν, καὶ παραστάτην ὡς
l.2. cap. 18. τοὺς Διοσκούρους ἐν χειμῶνι οἱ ΠΛΕΟΝΤΕΣ *illum voca adiutorem, ſociumque, ut qui* NAVIGANT *Dioſcuros in tempeſtate.* Utque magis nautæ tempeſtates effugerent, vel incolumes ſolo ipſorum numine curſum optime conficerent, in navibus παρασήμῳ Διοσκούρους *pro inſigni Caſtorem, & Pollucem* ponebant, quemadmodum ſcribit Lucas

in

Digitized by Google

in geſtis Apoſtolorum de navi Alexandrina, qua vectus Paulus Apoſtolus. Neque hoc novum in antiquitate; legimus enim aliquando Minervam pictam in navibus, ut apud Ovidium *c.ult.*

Eſt mihi ſitque precor flavæ tutela
Minervæ
navis, & a picto caſſide nomen
habet.

aliquando pingebant Iſidem, ut memorat Lucianus in dialogo πλοῖον, ἢ εὐχαὶ de navi, quæ τὴν ἐπώνυμον τῆς νέως θεὸν ἔχουσα τὴν Ἶσιν ἑκατέρωθεν, ubi Iſis dea, & tutela, & inſigne navis fuit. De Dioſcuris, qui navigationis curam gerebant, ac nautis favebant Euripides hæc prodidit, cum de Helena loquitur

ἔσται σπονδαῖς ἔντιμος ἀεὶ *inOreſ.p.109. edi.Cant.Bar.*
σὺν Τυνδαρείδαις τοῖς Διὸς υἱοῖς
ναύταις μεδέουσα θαλάσσης

erit ſemper honorabilis ſacrificiis cum Tyndaridis Jovis filiis nautarum in mari curam gerens. Et Horatius *l.4. Car. 8.od.*

Cla-

Clarum Tyndaridæ ſidus ab infimis
quaſſas eripiunt æquoribus rateis.

Quoniam vero nautis præſidio erant, ideo vel votis vocati ab his, quibus navigationem ſuſcipere in animo erat, vel ſolennia ſacrificia illis facta pro felici fauſtoque reditu: quod Argenidæ accidiſſe veroſimile videtur, quem marmor precantis, ac vota perſolventis ſpecie exhibet; exhibet etiam navem, qua vectus, quamve gubernavit, ſalvamque Caſtoris, & Pollucis ope in portu collocavit, vel ut verbis utar Venuſini Poetæ,

jactatam religarat udo
littore navim.

Non diſſimili forma navis inſpicitur in Phocæenſium nummo cum duobus pileis, duabuſque ſtellis, quæ Dioſcurorum symbola ſunt, ut hiſce symbolis oſtenderent Caſtorem, & Pollucem navium eſſe Deos tutelares, ac navigationi præeſſe: unde quemadmodum qui tempeſtatem paſſi ſolebant navem fractam inter ſco-

ap. Spon. in Itin. p. 111.

ap. Hor. in art. poet.

ſcopulos, vel fluctibus obrutam tabellis pingere; ita Argenidas, qui incolumis a tempeſtate evaſit, navem integram, ſuiſque partibus abſolutam in marmore ponendam curavit, ut ob oculos poneret Dioſcurorum numen, & tutelam, qui non ſolum illi ſalutares, ſed etiam magno ad navigationem adjumento fuerunt. Quem Gentilium morem ita Cicero expreſſit in libro tertio *de natura Deorum*. *Nonne animadvertis ex tot tabellis pictis, quam multi votis vim tempeſtatis effugerint, in portumque ſalvi pervenerint*. In Anthologia extat politiſſimum Philippi epigramma de quodam Lyſiſtrato, qui in ſæva tempeſtate Dioſcuros invocavit, ut ſe, ſuamque navem ſervarent: quod huc adducere viſum, ut marmori noſtro lux aliqua reddatur

ὅτ' ἐκ ζαήτου Λίβυος, ἐκ ζαοῦς νότου
συνεζοφώθη πόντος, ἐκ δὲ νειάτων
μυχῶν βυθῖτις ψάμμος ἐξηρεύγετο,
ἱστὸς δὲ πᾶς ὤλισθεν εἰς ἅλα πτύσας,
φορτὶς δ' ἐσύρετ' ἐς ἀΐδαν πλανώμενος,
Ἀργοναύτας δαίμονας Λυσίστρατος
ἐλιπάρησεν· οἱ δὲ τῷ νεηκόρῳ
μούνῳ θάλασσαν ἀγρίαν ἐκοίμισαν.

Cum ex valde flante Libye, & impetuoſo Noto una obſcuraretur pontus, & ex ultimis receſſibus profunda arena eructaretur, malus autem totus decidit in mare ſpuens: oneraria vero navis trahebatur ad inferos errans, auxiliatores nautarum Deos Lyſiſtratus aſſidue precatur. Hi vero æditituo ſoli mare crudele placaverunt. Legimus etiam illud Juliani de quodam, qui Jovem precatus, ut ſe in navigatione ſervaret, ac in portum incolumem deduceret

πολλάκις εὐξαμένῳ μοι ἀεὶ θυμήρεες ἔδωκας
Τέκμαρ ἀκυμάντου ζεῦ πάτερ εὐπλοΐης
δοίης μοι καὶ τοῦτον ἔτι πλόον ἠδὲ σαώσαις
ἤδη, κἀκ κυμάτων ὅρμισον εἰς λιμένας.

Sæpius precato mihi ſemper gratum dediſti judicium tranquillæ Jupiter pater navigationis. Da mihi hunc etiam navigationem, & ſerva me jam, & ex laboribus ſubduc me in portum. Apud Romanos etiam Dioſcuri nautarum Dei tutelares habebantur; unde Horatius *l. 3. carm. od. 29.*

tunc me biremis præſidio ſcaphæ
tutum per Ægæos tumultus
aura feret geminuſque Pollux.

moris etiam erat Gentilium navem donare Diis, quos ſibi auxiliares in procellis erant experti, ut de Eudemo notat Callimachus

Ep.51.ed.ultr. p.225. τὴν ἀλίνην Εὔδημος, ἐφ' ἧς ἅλα λιτὸς ἐπελ-
θὼν

χειμῶνας μεγάλους ἐξέφυγεν δανέων,
θῆκε θεοῖς Σαμόθραξι, λέγων ὅτι τήνδε
κατ' εὐχὴν,
ὦ λαοὶ, σωθεὶς ἐξ ἁλὸς ὧδ' ἔθετο.

Naviculam Eudemus, qua per mare pauper invectus procellas magnas effugit laborans, donavit Diis Samotrhacibus: dicens quod hanc ex voto, o populi, ſervatus ex mari hic poſuit. Poſuit Argenidas marmori & porcellum, ut Caſtori, & Polluci de more Lacedæmoniorum ſacrificaret, nam, ut ait Polemon, Lacedęmonii *ap. Athen. l.4. p.139.* θύουσι δὲ καὶ τοὺς γαλαθήνους ὀρθαγορίσκους *immolant etiam lactantes porcellos*. Hinc peculiari voce χοίρεια κρέα *porcinæ carnes* Βαρθαγορίσκεια ab ipſis appellatæ, & *vid. Heſych.* μικροὶ χοῖροι *parviporci* Βορθάκειοι etiam dicti. Polemon ὀρθαγρείσκους habet, quem reprehendit Didymus grammaticus, qui tamen ὀρθεαγορίσκους legen-

gendum auctoritate Perſæi, Dioſcoridis, & Ariſtoclis contendit. Sus etiam apud Laconas Βωλώρυξ, & Σίκα Heſychii teſtimonio dictus, cujus carne veſci ſolitos tradidit Diçæarchus in eo opere, quod Tripoliticum inſcripſit, hiſce verbis ὄψον δὲ ταὐτὸν ἀεί ποτε πᾶσίν ἐστι ὕειον κρέας ἑφθὸν *opſonium vero ſemper idem univerſis ſuilla caro elixa*. Quos vero marmor oſtendit jacentes, cubituque in ſaxum reclinatos; comites, ſocioſque reor eſſe, qui una cum Argenida navigarunt; quoſque ad convivium, quod poſt ſacrificium a Gentilibus peragebatur, invitaſſe ſimile vero videtur; proditum quippe a Græcis ſcriptoribus Lacedæmonios quędam convivia feciſſe, quæ φειδίτια, vel φιλίτια appellarunt, εἴτε ὡς φιλίας καὶ φιλοφροσύνης ὑπαρχόντων, εἴτε ὡς πρὸς εὐτέλειαν καὶ φειδὼ συνεθιζόντων *vel quod amicitiam, & benevolentiam conciliarent, vel quod ad frugalitatem ac parſimoniam aſſuefacerent*. Hæc

ap. Ath. l. 4. p. 141.

Plut. in Lyc.

antiquiſſimis temporibus ἄνδρια, deinc vero φειδίτια vel φιλίτια dixerunt : convivabantur accumbentes ſine ulla veſte ſtragula cubitu in cavatum lapidem, vel lignum reclinati, ut ſcribit Svidas φιλίτια συμπόσια μεμιγμένους ἔχοντα ταῖς ἡδοναῖς τοὺς πόνους. οὐ γὰρ στρωμνή τις ὑπέκειτο δειπνουμένοις, ἀλλ' ὑπὸ τοῖς ἀγκῶσι κοιλανθεὶς λίθος ἢ ξύλον *philitia convivia, quæ permixtos voluptatibus labores habebant: neque convivantibus aliquid ſubſternebatur, ſed ſub cubitis erat lapis cavatus, aut lignum.* Hinc Sybarita quidam a Lacedæmoniis κληθεὶς εἰς φειδίτιον, ἐπὶ τῶν ξύλων κατακείμενος, καὶ δειπνῶν μετ' αὐτῶν *vocatus ad phiditium in ligno reclinatus cum ipſis cœnavit.* Quam ob rem marmor Græcum exhibet Argenidam Dioſcuris vota ſolventem, ſocioſque incolumes, feſſos a longa navigatione, ac philitium expectantes, navi integra, & a fluctibus non afflicta. Optime vero Clariſſimus Comes Sylveſtrius vo-

Ariſtot. l. 2. pol. c. 8.

Athen. l. 12. p. 518.

vocem ... KEION ſupplevit, interpretatuſque eſt ANAKEION. Anaceum quippe Athenis erat templum Caſtoris, & Pollucis, ut Thucidides, & Lucianus literis mandarunt, quod ἀνακεῖον a Græcis appellatum τὸ nempe τῶν Διοσκύρων ἱερὸν, ut explicat Svidas. Ἀνακεῖα Διοσκύρων ἑορτὴ *Anacea* tamen *Dioſcurorum feſtum*, Ethnicis feſta denominantibus a diis, quibus erant conſecrata, uti & Μουσεῖα, Διάσια, Δημήτρια, Ἀρτεμίσια, Τροφώνια. Quæ Διοσκύρεια item dicta in numo Domitiæ hac epigraphe ΔΙΟΣΚΟΥΡΙΑ ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ *Laodicenſium Dioſcuria*, quemadmodum a Cyrenæis appellata, ut notat Scholiaſtes Pindari ὅτι ἐπιφανῶς ἄγουσι Κυρηναῖοι ΤΑ ΔΙΟΣΚΟΥΡΙΑ Βάττου πρώτου καταδέξαντος τὴν εὐχὴν *quod Cirenæi eximie* DIOSCURIA *celebrarent*, *Batto primo ſolennes eam in rem preces iis tradente*. Conſtat enim Battum Cyrenas coloniam deduxiſſe, eamque urbem condidiſſe, quæ a Dionyſio dicta

l.8. hiſt.

in Timon. p. 79. ed. Bened.

vid. Heſych.

Pollux in on. lib.1. cap.1.

in od.5.

Solin. c.30.

.n perieg. Ἀμυκλαίων γένος ἄνδρων

Amyclæorum genus virorum. Quoniam vero a Lacedæmomis Cirenæi ortum ducebant, eorumque traduces erant; ideo ab ipſis Dioſcuros cultos indicat numus, in quo ſtellas duas additis literis ΚΥΡΑ inſpicimus, quibus Caſtorem, & Pollucem Veteres ſignificabant; quive Λακεδαιμόνιοι ἀστέρες *Lacedæmoniæ ſtellæ* dicti a Callimacho, cujus Poëtæ locum mecum pro ſua humanitate communicavit nobiliſſimus Præſul Dominicus Paſſionæus literis Latinis, & Græcis apprime doctus. Neque ulli dubium eſt, quin ſint Dioſcuri, quos in marmore videmus; id ſatis oſtendunt voces ΑΝΑΚΕΙΟΝ, & ΔΙΟΣΚΟΡΟΙΣ, quos pileis inſignitos in lapide obſervamus: unde Catullo *pileati fratres*; pileis enim loco galeæ Dioſcuri uſi, ut tradidit Lycophron

ὧν ὀστρεάκοις στρόβιλος ἐντετμημένος
κόρσην σκεπάσει, ῥῦμα φοινίου δορός.

quo-

ap. Beger. in theſ. Brandeb. tom. I. p. 520.

hym. in lav. Pall.

epig. 38.

v. 506. edit. ox. Potter.

quorum caput ovalis teſtæ hemiſphærium operiet, haſtæ cruentæ propugnaculum. Quæ ita explicat Tzetzes ἐῤῥέθη πάλαι, ὅπως ὁ ζεὺς κύκνῳ ὁμοιωθεὶς, ἐξ ὠῦ, ὡς ληρῦσι, τούτους γεννᾷ. ὧν ἑκάτερος τῷ ἡμίσει τοῦ ὀστρακοῦ τοῦ ὠοῦ περικεφαλαίᾳ ἐχρῆτο *olim dictum eſt, quomodo Jupiter cycni forma adſumpta, ex ovo, ut nugantur, eos genuerit: quorum uterque galea dimidiati ovi teſtam referente utebatur.* Quinimo Lacedæmonios loco galeæ pileos geſtaſſe monuit Thucidides, cum deſcribit pugnam. quam cum Athenienſibus inierunt Τότε ἔργον ἐνταῦθα χαλεπὸν τοῖς Λακεδαιμονίοις καθίστατο, οὔτε γὰρ οἱ πῖλοι ἔστεγον τὰ τοξεύματα *tunc res moleſta Lacedæmoniis accidit: neque enim pilei ſui a ſagittis protegebant.* Simulacra vero dioſcurorum, quę in marmore viſuntur, Lacedæmonii peculiari voce Δόκανα appellarunt, quamvis, ut Svidas opinatur, δόκανα ſint τάφοι τινὲς ἐν Λακεδαιμονίᾳ. παρὰ τὸ δέξασθαι τοὺς Τυνδαρίδας *Docana* l. 4.

na ſepulchra quædam in Lacedæmonia: quod Tyndaridas ſuſceperint. Quæ exſcripſit Auctor Etymologici magni. Plutarchus tamen non ſepulcra Tyndaridum, ſed eorum ſimulacra verius δόκανα fecit hiſce verbis τὰ παλαιὰ τῶν Διοσκούρων ἀφιδρύματα οἱ Σπαρτιᾶται δόκανα καλοῦσι *vetuſta Dioſcurorum ſimulacra Spartani appellant Docana*; cujus ſententiam ſequitur Euſtathius commentario in Iliadem, deducitque δόκανα a δοκὸς, quæ vox *trabem*, *tignum* ſignificat, ſcilicet τὸ τὴν στέγην ἀνέχον ξύλον. Quamplurimæ voces Laconicæ nobis obſcuræ non eſſent, ſi extaret liber Ariſtophanis grammatici inſcriptus Γλῶσσαι Λακωνικαὶ, cujus meminit Athenæus: vel Clitarchii, qui etiam in Γλώσσαις alia vocabula Laconica collegit. Non negamus tamen opus Ariſtophanis non pervolutum ac lectitatum ab Heſychio, qui plurimas ab Ariſtophanis libro voces ſe exſcripſiſſe ultro fatetur. Hinc ope Laco-

in lib. de frat. amor. p. 478. edit. Xyl.

l. 17.

in etymol. mag.

l. 4. p. 77.

Procl. in Heſiod.

nicæ

nicæ linguæ quid vox εἴσπνιλος *Idyl.12.*
denotet apud Theocritum, perſpi-
cue declaratur

ὁ μὲν ἦν εἴσπνιλος, φαίη χ᾽ Ὠμυκλαΐσδων

hic quidem Eiſpnilus, diceret aliquis Amyclæa lingua loquens; ubi εἴσπνιλος idem ac *amator*: Lacones enim εἰσπνεῖν pro ἐρᾷν dixere, ut notatum ab Auctore Etymologici magni, vel ut Plutarchus, & Ælianus ſcribendum autumant ἐμπνεῖν. Antiquiſſimis temporibus Dorienſes, quorum dialectum ſequebantur Lacedæmonii, ὁμογλωσσεῖς πρότερον ὄντες *cognati & affines antea* cum reliquis Græcis, & lingua, & moribus; quæ deinde perverterunt, cum pauci eſſent, aſperrimumque locum habitantes τῷ ἀνεπιμίκτῳ *aliis non permiſcerentur*; quod cauſſa fuit ἑτερογλώττου, ut opinatur Strabo. Ariſtophanes aliquot ῥήσεις ex Laconica dialecto profert longe diverſas nedum a reliquis Græcis, verum ab antiquis vocibus Laconicis

in Agid. & Cleo. p. 805. var. hiſt. l. 3. c. 12.

Strab. l. 8 pagin. 333. edit. Amſt.

cis, quæ obtinuere temporibus Timothei contra quem extat Ephororum decretum, quod antiquam muſicen immutavit, quamvis etiam emendatione indigeat poſt extanlatos labores Leopardi, Scaligeri, & Caſauboni. Nunc Careli Vir doctiſſime ad vaſa deveniamus, quæ in marmore inſpicimus. Amphoræ quidem ſunt, ut vides, cum ἀμφορεὺς
ex Theoc. ap. auct. ety. mag. τὸ ἑκατέρωθεν δίωτον ςαμνίον *amphora ſit ab utraque parte auriculas habens*:
Iliad. ψ. apud Homerum ἀμφιφορεὺς ſcriptum, ut verius, quid ſit amphora, ille explicaret, *amphora* enim *vocata*, *quod*
Iſid. in Orig. c.25. *hinc, & inde levetur*. Amphoræ apud Græcos vaſa fictilia, ut obſervat Eu-
in Odyſ. l. 18. ſtathius οἱ δὲ ἀμφιφορεῖς κεράμεοι ἦσαν ἀμφοτέρωθεν φερόμενοι, ὅ ἐστιν ἄμφωτοι, δίωτοι *amphoræ vero vaſa fictilia erant utrinque portatilia, ideſt duabus auribus inſtructa*; quamvis apud Romanos vitreas aliquando fuiſſe Pe-
in Satyr. pagin. 114. edit. Amſt. ap. Blæ. tronius tradat. Amphoræ varii generis apparent in numis Chiorum, ma-

maximeque Helenæorum, & Lamienſium, quorum primi Attici, poſtremi vero Cilices, diverſam formam, variamque baſin habentes: quæ etiam operculis clauduntur ab Homero *πώματα* vocatis, quales in numis, & in hoc marmore apparent. In Amphoris vinum Veteres ſervabant, ut inquit Ariſtophanes

Steph. in voc. ἑλένη, & λαμία.

Odyſ. l.2.

οἱ δ' ἀμφορεῖς οἴνου μέλανος ἀνθοσμίου

in plut. act. 4. ſc.1,

amphoræ vero vino nigro, & fragranti plenæ; quibus vinum per plures annos cuſtodiebatur, eaſque gypſabant; attamen vinum amphorarium, & doliarium Proculus ita inter ſe opponit ut vinum in doliis conjiceretur, ut ex his in amphoras, & cados diffundatur, *atque in his ſit, donec uſus cauſſa probetur: & ſcilicet id vendimus cum his amphoris, & cadis: in dolia autem alia mente conjicimus ſcilicet, ut ex his poſtea vel in amphoras, & cados diffundamus, vel ſine ipſis doliis veneat.* Fictilibus vaſibus Lacedæmonii ita delectati, ut

Petr. p. 114. l.15.π. de trit. vin. vel ol. leg.

Polem. ap. Athen. lib. 11. *p.*483.
ἐκ κεραμέων ποτηρίων e *fictibus poculis* etiam biberent; cothoneque poculo uſi, quod ὀστράκινον *teſtaceum* erat,
Schol. Ariſtophan. in equit. & Svid.
& μόνωτον *auritam anſam habebat*: cujuſque mentionem fecerunt celeberrimi Poëtæ Archilochus, Ariſtophanes, Heniochus, Theopompus, &
ap. Athen. pagin. 483.
Alexis. Quod poculum Lacedæmoniis peculiare, ut ait Pollux ἔκπωμα Λακωνικὸν, & Svidas κώθων εἶδος ποτηρίου Λακωνικοῦ.
lib. 6. Onom. c. 17.
Quod vero marmori præcipuum eſt, Argenidas Dioſcuros veſte brevi inductos ponendos curavit, ut morem Lacedæmoniorum in hoc etiam negotio retineret. Non enim Te fugit Careli Vir clariſſime ipſos teſte brevi uſos penulam primos excogitaſſe, veſtemque tritam ac laceram geſtaſſe, quæ Lacernæ Romanorum reſpondet;
Tert. in apol.
quamve τρίβωνα dixere; aliaſque ipſis peculiares, peculiaribus etiam nominibus vocatas, uti ἀνέκτονον, & δημοφανὲς, quæ, ut ſupra dicebamus, retinuit Heſychius illa ab Ariſtopha-
Plut. in Phoc. & Agid.

nis

nis libro exſcribens, qualia etiam ſunt ἰώπατηρ, σάμια, quibus Lacedæmonii *veſtium clavos*, & *inſignia quæ in fimbriis*, denotabant. Utinam in longiori vita commoratus ὁ πάνυ Kuſterus, quem hac mente fuiſſe accepimus, ut Heſychium, uti cæperat, illuſtraſſet, atque emendaſſet; quod morte præreptus abſolvere non potuit. Cȩterum Careli Vir doctiſſime tuum judicium de hiſce meis obſervationibus cupide expecto; ſcis enim me perofficioſe Te ſemper coluiſſe propter tui ſingularem virtutem, & eruditionem. Quod Te facturum non deſpero fretus potiſſimum tua benevolentia, moribuſqne tuis ornatiſſimis, quibus me, quȩ tua fuit benignitas, mirum in modum devinxiſti. Teque rogo, ut meo nomine doctiſſimo Gentilotto, & Clar. Zeno quos valde obſervo, ſalutem plurimam dicas.

Vale.

Romæ IX. cal. Dec. MDCCXIX.

De Morte Cl. Viri

JOANNIS MARIÆ LANCISII,

Quæ inchoata editione hujus operis accidit.

QUemadmodum is mihi animus eſt natura impertitus, qui bonorum amicitias ultro appetens ſtatim in eorum mores, affectusque ipſos transferatur; ita ſi quid illis adverſi in vita contingit, tam inſolita me ſentio veluti angoris tempeſtate jactari, ut, aut quæ illi immerito, vel humanitatis cauſſa ſuſtinent, ſi fieri poſſet, in me ipſe reciperem: aut illos nunquam uſurpaſſe oculis exoptarem. Cum antea multis in locis vicem hanc miſeram ingens pectori meo vulnus inflixiſſe ſum expertus, tum Romæ potiſſimum

Digitized by Google

mum XIII. Cal. Februarii, cum ereptum mihi vidi Joannem Mariam Lanciſium, & vidi mihi ereptum eo tempore, quo mutua noſtra neceſſitudo ad extremam benevolentiam pervenerat: propeque aderat ut una cum aliis ejus Meteorologica Diſſertatio in publicum emitteretur. Amiſerunt profecto Medici, ac Philoſophi lumen clariſſimum: graviſſimis ſcientiis artibuſque politiſſimis viri dediti maximum decus amiſerunt; cujus jactura non ſolum literatis in Italia hominibus luctuoſa eſſe debet, ſed etiam omnibus trans alpes, tranſque maria poſitis, quorum nemo ejus ſcripta non admirabatur, nemo non eo amico uti volebat, atque illum ſibi commercio literarum obſtrictum habere nemo non glorioſiſſimum exiſtimabat. Quid vero amiſerim ego, judicium eſto eorum, qui non omnino alieno ſtudio in me ſunt: quos tamen cavere velim a ſpecie qualibet utilitatis, a qua, ſicut quoad vixit, ſemper abhorrui,
ita

ita nunc, cum hæc poſt illius mortem ſcribo, credi velim multo magis abhorrere. Hoc quidem omnes pro certo habeant, bono uno, quod cuique honeſto ingenuoque homini pulcherrimum eſt reputandum, Amico ſcilicet doctiſſimo, ſuaviſſimoque caruiſſe, qui mecum ſcripta ſua, ego mea cum illo communicarem: quem veſperi quotidie inviſerem: qui ſibi Olivam ſuum optimum reddere una ſui contemplatione, atque imitatione proponeret. Jure igitur contraxi animum, planeque demiſi, itaque ſentio, dum hæc temere calamo excidunt, ab inſtituto ſuo mentem avocari, ut illud evidentiſſime comprobatum in me ipſe intelligam, quam difficile ſit, eos, qui curis afficiuntur, ordinem atque elegantiam in loquendo ſervare. Innumera enim a Lanciſio meo dicta, & facta præclariſſime obverſantur ſubinde memoriæ, & ſtata tempora, quæ eruditis cum illo colloquiis traducebam, cum moleſtæ ingratæque ſoli-

 tudi-

tudini nunc inſerviant, dolorem exaſperant acrius, nec cogitationis alio vertendæ contentio ad exiguam ejuſdem oblivionem quidquam confert. Paucis diebus ante quam e vita diſcederet, cum illi ſignificaſſem, velle me de eo, ac de inſcripta mihi Diſſertatione mentionem habere honorificam, ſubit animum reſpondiſſe, faciendum mihi quidem hoc eſſe, ſed ab omni laude abſtinendum; oblaturam ſe mihi occaſionem, in qua de ipſo fuſe libereque dixiſſem. Fortaſſe hoc ille providerat, ultimum me ejus amicorum, quippe qui Romam ſerius advenerim, primum poſt illius mortem futurum, qui tantas virtutes commemorarem. Quod igitur Lanciſius mente præcipere eſt viſus, exequar libenter equidem, præſtantiſſima tam cari capitis decora tumultuario ordine perſecutus, dum incredibili oppreſſus ægritudine animus vix patitur, me hæc pauca in unum congerere. Itaque palam faciam, illum annum octavum

ac viceſimum circiter agentem inter multos nullo non conatu Medicinæ publice in Romano Archigymnaſio profitendæ munus ambientes, ceteris unum prælatum, quod ſcientię ingeniique laude pręcellens concertationis ejus judices ſuo ſibi merito obſtrinxiſſet: inde commendatione non vulgari parta majus decus attuliſſe ſibi; ſubmotiſque, quę obſtare poterant, impedimentis, faciliorem ad conſequendos honores, & ad ſuam dignitatem ac famam augendam ſibi viam patefeciſſe. Nec ipſum diu ſua fefellit induſtria. Ætatis enim anno triceſimo ab Innocentio XI P. M. Archiater fuit nominatus. Jam conſtat eodem munere honeſtatum a Sanctiſſimo Domino Noſtro Clemente XI. cujus valetudinem viginti per annos feliciſſime curavit: tanti Pontificis erga literatos ac literas amorem æmulatum doctos omnes humaniter excepiſſe: & Bibliothecam publicam Medicorum pręcipue ac Philoſophorum bono in

Archinoſocomio S. Spiritus ſumptibus privata ſorte majoribus excitaſſe: viris dignitate eminentiſſimis fuiſſe cariſſimum: doctiſſimos quoſque ac nobiliſſimos Italiæ atque Europæ ſtudio ac liberalitate inter ſe certaſſe, ut ad eum volumina pro Bibliotheca publica mitterent: vel a Ludovico xiv. Galliarum Rege multis lectiſſimis donatum libris pro eadem, atque inter ceteros Margarita Antoniana, quod liquet ex Epiſtola nomine Regis Chriſtianiſsimi a Marchione de Tourcy adLanciſium ſcripta Gallica lingua, quam nos latine reddidimus. Ingenio vero atque eloquentia tanta fuit, ut, cum in Archigymnaſio Sapientię Anatomem profiteretur, habens orationem de laudibus Leonis X. variis Pręſulibus in mediam rem quater advenientibus, alio verborum ſententiarumque genere antea dicta per Anacephalęoſim quater prompte repeteret, quo melius actio ea tota ab omnibus intelligeretur. Mirandum hoc

hoc ſane memorię atque ingenii experimentum didici pridie quam Lanciſius decumberet ex iis literis, quas præ manibus habui poſtremas. Otium atque otioſos a ſe, atque a Domo ſua ſemper exterminavit. Quamquam graviſſimas ſtudiorum contentiones innumera alia negotia conſequebantur, natus tamen annos quinque, & ſexaginta mirum quo robore corporis, ac virium firmitate valuerit. Licet in Medicina Summo Pontifici facienda totus occupatus eſſet, pia nihilominus conſuetudine tempus muneri ſuo ac ſtudiis ſuffurabatur, ut pauperum neceſſitatibus inſerviret, eorumque morbis levamen, quod poterat, quam attentiſſime nulla mercede pellectus afferret. Doctos & bonos impenſe fovebat, atque amabat. Ac ſi quando fiebat, ut Pontificis liberalitate quiſquam doctrina ac probitate commendatus aliquod beneficium conſequeretur, Principi ultro gratias agere geſtiebat, quod virtus

haud neglecta jaceret: ipſumque ideo Sanctiſſimus Pontifex *boni Procuratorem* appellare conſueverat. Decimo octavo Cal. Februarii, cum illum ſub noctem adiiſſem, ſecum me parumper detinens, ſe non omnino bene habere ſignificavit, jubenſque familiares ſuos ignem lecto parare, dimiſit me officioſiſſime. Lanciſium viſcerum inflammatione correptum, ęgrotantemque non vidimus: juſſu enim Sanctiſſimi Principis, cui Archiatri ſui optima valetudo maximæ curæ erat, aditu ad illum prohibebamur. Vidimus vero triſtiſſimi poſt prandium tertio die agentem animam illam de Magno Pontifice, de literis, de amicis cumulatiſsime meritam, quæ, quarto die ineunte, ex quo in ægrotationem inciderat, ut in ſpe certa ſumus, evolavit ad ſuperos. Dicam opportune de Lanciſio, quod de Alexione Cicero: *quid eſt quod non pertimeſcendum ſit, cum hominem temperantem, ſummum medicum tantus im-*

Epiſt. ad att. l. lib. 15.

pro-

proviſo morbus oppreſſerit? Sed ad hæc omnia una conſolatio eſt, quod ea conditione nati ſumus, ut nihil quod homini accidere poſſit, recuſare debeamus. Elatus fuit magnifico funere: & in S. Spiritus Templo, cujus Noſocomium ex Aſſe hæredem inſtituit, expoſito ſolemni ritu omnes de Intimo Pontificis Cubiculo parentaverunt, Excellentiſsimo D. Alexandro Albano CLEMENTIS XI. F. Filio honorem illum magna pietate, ac mœrore incredibili augente. Ibi in pace requieſcit brevi honeſtandus Monumento publico: etſi non video quodnam Lanciſius decus illuſtrius in omnem poſteritatem referre poſsit, quam ſuas proprias laudes, egregiumque illud conſilium Noſocomium alterum feminarum commodo alteri hominum adiungendi. Hæc illum diu noctuque cura tangebat: hujus de cauſſa in victu parciſsimus, vanorumque ſumptuum contemptor omnes hunc in uſum divitias ſuas ſevocavit. Nota ſunt

om-

omnia, quæ a Lanciſio edita circumferuntur volumina doctiſsima atque elegantiſsima. Hęc reliquit: Diſſertationem de *Motu Cordis* nondum ad finem perductam: Conſiliorum Medicorum libros plurimos: Ephemerides Pontificias ad eam uſque diem productas, qua ſe lecto ægrotus commiſerat: plurimas Italorum, & tranſalpinorum doctrinæ fama inſignium virorum latinas Epiſtolas una cum ſuis, quas quinquaginta circiter exceptis recognovi, notiſque ad marginem adiectis illuſtravi. Huic editioni Præfatio a me lucubrata eſt, quæ ex iiſdem literis apparebit. Volumen hoc tamen delectu indiget: ſuamque mihi mentem Amicus, dum viveret, aperuerat. Qui juſtam ejus vitam ſcribendam ſuſcipiet, ex his Epiſtolis, in quibus ſtudia ſua, honores & plurima ſcitu digna ad ſe pertinentia inſperſit, materiam uberrimam excerpet. Multa etiam Pontificiæ Ephemerides ſuppeditabunt.

Quod vero ad Epiſtolas Latinas, atque Opus *de motu cordis* attinet, brevi hæc omnia Summi Pontificis juſſu in lucem editum iri ſperamus, tum ut res Medica ac literaria magis illuſtretur, tnm ut Lanciſii amicis ſatis fiat, quos ſcriptis ad me literis hac de re intelligo quam maxime laborare. Verum ad hæc literatiſſimum Principem incitandum eſſe nemo judicet, cum jam ad benemerendum de omnibus artibus, ac ſcientiis natum illum factumque plurima nobis argumenta declaraverint.

F I N I S.

Digitized by Google

Errata ſic emendantur.

Pag.	lin.		
xxii	19	diligendus	deligendus
32	4	nidori	fœtori
33	6	aliarum	aliorum
37	14	Phebi	Phœbi
40	22	Euguneis	Euganeis
45	8	inhumataquæ	inhumataquę
56	8	tutella	tutela
58	3	antem	autem
64	1	homino	homine
88	19	coſiſtere	conſiſtere
90	9	Livinatæ	Laviniatæ
97	15	*in urbe exercitus*: poſt hęc verba ſupple: *adepti ſunt, parum convenit*	
143	1	fictibus	fictilibus

VA1 1541483

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

XXIV*
B
54

Digitized by Google